Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0001-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0002-6

1755.

1. Dahm, Joan. Michael: De justo et injusto regalium usu.

2. Hahn, Joannes Philippus: De ancipiti, in terris, vel civitatibus mixtae religionis asylorum jure

3. Hahn, Joannes Philippus: De exclusione filiarum illustrium ab allodio.

1757.

1a-b Horix, Johann: Wahre Veranlassung der Peinlichen Hals-Gerichts-Ordnung Kayser Carls des Vten, womit seine juristischen Vorlesungen ankündiget 2 Samml. 1757-1765

1758

1. Horix, Joannes: Tractatiuncula de fontibus juris Canonici Germanici, qua praelectiones suas indicit.

1776.

1. Duerr, Franciscus Antonius: De ordinationibus in processu Camerae Imperialis usitatis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0003-1

1778

1. Daerr, Franciscus Antonius: De comitiis a Rudolpho I Habsburgico Romanorum rege celebratis, praecipue autem de primis comitiis Norimbergensibus d. a. 1274, quorum acta hactenus inedita producuntur.

1780.

1. Daerr, Franciscus Antonius: De confraternitatibus ecclesiarum cathedralium et collegiatarum in Germania

1781.

1. Schloer, Ioan. Georg: De jure regrediendi collateralium in complexionem divisam.

1782.

1. Schlaer, Ioan. Georg: Vindiciae veritatis fide jussorum obtento a debitore principali rescripto moratorio a creditore conveniri haud posse

2. Schlaer, Ioan Georg: Vindiciae legitimorum nata-

tiam, liberorum e matrimonio S.R.I. princi-
pum constante Augustanae confessioni addictorum
solo mutuo consensu matrimoniali, neglecta
omni solemnitate ecclesiastica contractis, nato-
rum.

1783.

1. Alef, Emmanuel: Successio Romana et hodierna
ordine systematico per tabulas delineata.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0006-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0007-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0008-9

# DISSERTATIO INAUGURALIS JURIS ECCLESIASTICI DE CONFRATERNITATIBUS ECCLESIARUM CATHEDRALIUM ET COLLEGIATARUM IN GERMANIA.

QUAM

EX INDULTU INCLYTAE FACULTATIS JURIDICAE IN ALMA UNIVERSITATE MOGUNTINA

PRAESIDE

PRAENOBILI, CLARISS. AC CONSULTISS.

*VIRO AC DOMINO*

**D. FRANCISCO ANTONIO DÜRR**

J. U. D. EMINENTISS. AC CELSISS. PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNT. CONSILIARIO AUL. ET REGIMINIS ACTUALI, EJUSDEMQUE IN HAC ALMA UNIVERSITATE JURIS PUBLICI, ET HISTORIARUM PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO, NEC NON REVERENDISSIMI CAPITULI METROP. MOGUNT. ET UNIVERS. SYNDICO, FACULTAT. JURIDIC. ASSESSORE ET P. T. DECANO.

*PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS OBTINENDIS*

UNA CUM POSITIONIBUS EX UNIVERSO JURE

PUBLICAE ERUDITORUM CRISI SUBMITTIT

**ERASMUS LENNIG**, Mogonus.

DIE V. AUGUSTI MDCCLXXX.

*MOGUNTIAE,*

Ex Typogr. Aulic. Academ. privileg. apud Joan. Joſ. Alef, Hæred. Hæſſner.

9/ 108 1780,1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0009-8

# REVERENDISSIMO
# PERILLUSTRI
## AC PERQUAM GRATIOSO
## DOMINO
# D. GEORG. CAR. FRANC. IGNAT. JOAN. NEPOM.
## LIBERO BARONI
## DE
# FECHENBACH IN LAUTENBACH,

ECCLESIARUM METROPOLITANAE MOGUNT. DECANO, CATHEDRALIS WüRCEBURG. CAPITULARI ET EQUESTRIS KOMBURG. DOMICELLARI, EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNT. CONSILIARIO INTIMO ET VICEGERENTI &c.

DOMINO SUO PERQUAM GRATIOSO.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0011-6

# REVERENDISSIME
# PERILLUSTRIS
## AC PERQUAM GRATIOSE DOMINE!

Præſentem Libellum, quo Confraternitates Eccleſiarum Metropolitanarum, Cathedralium, & Collegiatarum Germaniæ, in ſpecie autem Reverendiſſimi Capituli Metrop. Mog., cujus Præſes & Decanus emines, exhibere ulteriusque illuſtrare anniſus ſum, una cum ſubjunctis ex univerſo jure Theſibus, gratioſo tuo ſubjicere conſpectui, eo minus vereor, cum ex iis non ſolum enascentes ex ſacris fœderibus prærogativæ Capitulorum Metropol. & Cathedr. Germaniæ, præcipue autem Rdmi Capituli Metropolitani Moguntini Præſidisque ejus palam ſplendescant, ſed & in Theſibus meis, inſignia prædictorum Capitulorum præprimis autem Moguntini jura tam circa ſacra quam profana ſede vacante illis competentia, & quæ denuo ex illis & prærogativæ fluunt & honores per modum ſyſtematis a nemine hactenus tentati ad tollenda inveterata Publiciſtarum & Canoniſtarum præjudia propoſuerim; hosce igitur labores Academicos, quos gratioſo tuo honoraſti Patrocinio, conſueta tibi ſerenitate ſuscipere non dedigneris; erit Libellus hicce quemadmodum perenne gratitudinis meæ haud intermorituræ in te Teſtimonium, ita & gratioſæ tuæ in me benevolentiæ immortale monumentum. Id quod cum ſperem fiducia plenus, ita favori tuo & gratiæ profundiſſima cum demiſſione me commendo futurus in omnem vitam

## REVERENDISSIMI AC ILLUSTRIS
### NOMINIS TUI.

Infimus ac devotiſſimus Servus
ERASMUS LENNIG.

# POSITIONES
## EX
# UNIVERSO JURE.

1. In Statu naturæ abſoluto omnes homines ſibi ſunt æquales & liberi.
2. In Statu tali vivunt gentes inter ſe.
3. Status iſte, non niſi per pacta mutatur.
4. Quæ pacta etiam inter gentes ſervanda ſunt.
5. Sede vacante in Capitula Metropolitana & Cathedralia Germanica tranſeunt omnia Jura Epiſcopalia & Archiepiſcopalia, exceptis illis, quæ per Canones expreſſe futuro reſervantur Epiſcopo, aut a ſpeciali delegatione ab homine facta dependent, adeoque
6. Tranſit ad illa non ſolum omnis Juirsdictio tam contentioſa, quam voluntaria in prima & reſpective ſecunda inſtantia
7. Sed & poteſtas legislativa Eccleſiaſtica.
8. Et licet ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis immediate exercere non poſſint, poſſunt tamen curare, ea conferri per Vicarios in Pontificalibus Generales eatenus delegatos, aut extraneos Epiſcopos deſuper requiſitos.
9. Quoad temporalia tranſit in Capitula prædicta ſede vacante ſuperioritas Territorialis cum complexu omnium Regalium
10. Uti & jus monetandi.
11. Ex Juris Analogia gaudent quoque Jure Auſtrægarum, ſi in cauſis Principatum concernentibus Epiſcoporum nomine conveniantur.
12. Sicut alii Status Imperii gaudent votis in comitiis, aliisque Imperii conventibus.
13. Exercentque Directoria in conventibus Imperii Epiſcopis compententia.

14. Inveſtituram quoque de ſuis feudis Vaſalli pro re nata ad evitandam caducitatem petere tenentur a Capitulis.

15. Competit Capitulis Metropol. Moguntino, Colonienſi & Trevirenſi Jus concurrendi ad Electionem Imperatorum, uti &

16 Capitulis Moguntino & reſpective Colonienſi Jus coronandi Imperatorem per alium Epiſcopum delegatum Capituli nomine exercendum.

17. In Specie autem Capitulum Metropolitanum Moguntinum ſede vacante eſt primus Imperii Status, juraque huic qualitati annexa exercet.

18. Competitque illi Directorium in Comitiis, Collegio Electorali, in conventibus Deputationum Imperii tam ordinariarum quam extraordinariarum & in ſpecie Viſitationum Cameræ Imperialis, in Circulo Rhenano Electorali, in Conventibus Circulorum aſſociatorum, & denique Electorum.

19. Archicancellariatus quoque ſede vacante in Capitulum Metropolitanum Moguntinum tranſit, & ejus nomine Vicecancellarius Imperii, & Director Cancellariæ Judicii Cameralis, cum reliquis perſonis ad has Cancellarias pertinentibus functiones ſuas peragunt.

20. Archivum Imperii cum omnibus ſuis partibus manet pariter ſub cura & cuſtodia Capituli Metropolitani Moguntini.

21. Suam in Archicancellariatu Imperii fundatam protectionem curſui pub. Imp. impertitur.

22. Nec illi Jus convocandi ad Electionem Imperatoris vel Regis Romanorum reliquos Electores cum fundamento denegari poteſt caſu forſan contingente.

23. Epiſcopus Osnabrugenſis Proteſtanticus ad ſacra Catholica tranſiens ſalvo reſervato Eccleſiaſtico in Epiſcopum ejusdem Eccleſiæ poſtulari poteſt.

24. Jus concedendi Breve Eligibilitatis a Pontifice etiam reſpectu Eccleſiarum mixtarum exerceri poteſt, neque menſes papales, neque reſervationes in concordatis fundatæ ibidem ceſſant.

25. In Locis mixtæ religionis quoad reparandas vel ædificandas Eccleſias Status anni normalis Chorographicus præciſe attendendus non eſt.

26. Jus introducendi ſimultaneum Religionis exercitium cuilibet Domino territoriali competit.

27. Nec in legibus I., nec obſervantia fundata eſt variorum hodiernorum Doctorum Proteſt. ſententia ad concluſum J. requiri unanime trium Collegiorum J. votum, ſed

ſed placitum duorum collegiorum Imperii ab Imperatore ratificatum concluſum efficit, &

28. Contra tale concluſum in communi duorum Collegiorum placito fundatum Collegium in voto contrario ſubſiſtens fruſtra proteſtatur, multo minus talis proteſtatio libertatem Status naturalis procurat.

29. Placiti trium Collegiorum Imperii ſine accedente Imperatoris approbatione nullus eſt effectus.

30. Multo minus habet vim pacti, ex quo Germaniæ Regnum obligari poſſit, non enim per pacta invito Imperatore leges novæ condi vel priores abrogari poſſunt.

31. Imperator habet Jus perfectum Cardinali dandi excluſivam a dignitate Pontificia.

32. Ex jure perfecto Imperator quoque habet Jus præſentandi candidatum pontifici ad dignitatem Cardinalitiam conferendam.

33. Nec pontifex illum recuſare poteſt.

34. Pro Protocollo a Secretario Legationis Directoralis Moguntinæ in Conventibus Imperii ſcripto ſtat omnis præſumptio genuitatis, prævaletque, licet forſan pars major protocolliſtarum Imperii Statuum aliter ſcripſerint:

35. Sponſalia per matrimonium cum alia contractum omnino extinguuntur.

36. Filius emancipatus poteſt eſſe teſtis in Teſtamento in favorem patris ſui facto.

37. Legitimati per ſubſequens Matrimonium ſuccedunt in feudis.

38. Nec a Jure primogenituræ excludendi ſunt.

39. Emphiteuſis feudo irregulari comparari non poteſt.

40. Emphiteuta non ex neceſſitate requirit a Domino Directo conſenſum ad pignorandum agrum ſuum vectigalem ob Legem 31. ff. de pignoribus & hypothecis.

41. Nec eatenus Dominus Directus conſenſum petitum denegare poteſt.

42. Si conſanguineus coinveſtitus ſuccedat in Emphitheuſi, Dominus Directus laudemium petere nequit.

43. Pro conſervatione rei momentoſæ raptorem, furem aut concuſſorem occidere licet.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0015-8

## §. I.

# DE CONFRATERNITATIBUS IN GENERE, ET DE CONFRATERNITATIBUS PROFANIS IN SPECIE.

Cum homines tanquam animantia ſocialia ex naturali quodam inſtinctu jucunda aliorum hominum conſuetudine admodum delectentur, ſic partim ad ſublevandas vitæ humanæ calamitates, partim mutui adjutorii præſtandi cauſa non ſolum contrahere inter ſe amicitias, ſed & ad firmandum arctiſſimum amicitiæ fœdus fraternitates inter ſe inire ab antiquiſſimis conſuevere temporibus, qui mos etiam ex iisdem rationibus ad nos usque fuit translatus; vinculum fraternitatis igitur, quod natura denegavit, procudit animorum conjunctio mediante pacto, factaque certorum jurium communicatione: confraternitas igitur hæc quaſi adoptiva ſeu adſcititia, de qua hoc loco quæſtio eſt, nihil eſt aliud, quam pactum quoddam inter plures homines initum, vi cujus certa æqualia inter

illos tanquam fratres communicantur jura & exinde fratres ſe ſalutant; (a) pro diverſitate autem objecti & jurium inter tales fratres pactitios ſtabilitorum, variant quoque hæ confraternitates: cum autem præcipua talium pactorum objecta ſint vel profana vel ſacra, ſic & reſultat exinde diviſio confraternitatum primaria in profanas & ſacras: quod priores concernit, antiquiſſimæ illæ non ſolum fuere, ſed & innumeræ fere illarum dantur ſpecies; quod penes Romanos, ut alias gentes ſilentio prætereamus, frequentiſſimæ fuerint adoptiones fratrum non omni deſtitutæ effectu, cum magno eruditionis apparatu demonſtravit Christoph. Lud. Crell *in obſervat. de adoptione in locum fratris non monſtroſa*; Germani cæterique Germanicæ Originis populi pro innato ſuo quondam animi candore præcipui erant confraternitatum conditores: imo quia ſe fratres incolarum in Germania cisrhenana habitantium dixere, a Romanis *Germanorum* nomen retulere, integræ genti poſtea proprium: (b) notiſſimæ ſunt confraternitates Principum & perſonarum

(a) Elogium fratris etiam citra pactum vel ad blandiendum amicis, vel ad denotandum ſingularem benevolentiæ affectum vel denique ad æqualitatem quandam inter perſonas ſignificandam non ſolum priſcis temporibus fuit adhibitum, ſed & hodie is ſignificatus adhuc applicatur; jam Salamon Iſraelitarum Rex Hiramo Tyriorum Regi nomen *fratris* tribuit I. Reg. Cap. IX. v. 13. & Judæi Spartanos, cum quibus fidem & amicitiam junxerant, fratres compellarunt, I. Mach. XII. v. 10. & 17. Romani ex Scto fraternum nomen Æduis, Gallorum propagini, tribuerunt teſtantibus JULIO CÆS. *de Bello Gallico*. L. I. C. 36. & CORN. TACITO *in Annal.* L. XI. C. 25. Juſtinianus Imper. Baſilium, cum quo familiariter converſari conſueverat, *fratrem jucundiſſimum* nominavit in *Nov.* 121. in f. De hodierno Regum ac principum more ſe invicem ſalutandi fratres egit J. JAC. MOSER *von dem Bruder Titul unter groſen Herren*. Inter opuſcula p. 413.

(b) Ita explicant interpretes vexatiſſimum locum CORNELII TACITI *de ſitu, moribus & populis Germaniæ*. Cap. II. ubi legitur: *ceterum Germaniæ vocabulum recens & nuper additum, quoniam, qui primi rhenum transgreſſi gallos expulerint, ac nunc Tungri, tunc germani vocati ſint, ita Nationis nomen, non gentis evaluiſſe paulatim, ut omnes primum a Victore* (alii legunt a victis) *ob metum mox a ſe ipſis invento nomine Germani vocarentur*. Conf. MASCOV. *in denen Geſchichten der Teutſchen* L. I. §. VI. p. 7. a STRABO GEOGR. L. VII. ait nomen Germanorum denotare *fratres*, & ſic eos Romanis compellatos fuiſſe.

rum illuſtrium (c) nec non aliorum Germaniæ nobilium, (d) initæ ſunt hæ confraternitates variis adhibitis ſolennitatibus, & modis majoris firmamenti cauſa, (e) principes quoque in ſuis aulis varias nobilium confraternitates profanas ſub variis titulis inſtituerunt, ſic Dux Auſtriæ Albertus cum trica inſtituiſſe fertur fraternitatem plegmaticam *die Zopf Geſellſchaft*, dum formoſa quædam fœmina plegma ſibi abſciſſum Duci exhibuerat, prout refert, MARQ. HERGOTT *in Pinacoth. Princ. Auſtr.* P. II. p. 93. §. 5. & Wilhelmus Dux Auſtriæ fibulæ & ſtellæ (*vom Hæfftel und Stern*) fraternitatem inſtituit l. c. p. 110. Confraternitas ſtultorum *die Gecken Geſellſchaft* inſtituta fuit A. 1381. ab Adolpho Comite Cliviæ cum aliis 45 nobilibus, cujus inſtrumentum legi poteſt in Cod. Diplom.



---

(c) Hoc argumentum multis illuſtratum eſt ſcriptis, præter ſcriptores, qui *de jure privato illuſtrium egerunt* 1.) DOM. ARUMÆUS ſcripſit Diſſ. *de confraternitatibus, confœderationibus, & pactis ſucceſſoriis principum & illuſtrium familiarum.* Jenæ 1614. quæ extat in ejus *Diſc. Juris pub.* Vol. I. 2.) HELF. ULR. HUNNIUS edidit Diſſ. de confraternitate in Vol. I. Diſſ. Baſil. n. 16. 3.) Proſtat JOH. VOLCKM. BECHMANNI Diſſ. *de confraternitatibus illuſtrium familiarum in civitate Germanorum* Jenæ 1666. Edita, recuſa Halæ Magd. 1737. 4.) NIC. MARTINI edidit 2 Diſſert. *de ſucceſſione principum aliarumque perſonarum illuſtrium pactitia per confraternitatem.* Kil. 1672. 5.) HENR. ANT. SPEIRMANN *de Juſtitia confraternitatis pub.* Arg. 1678. De famoſa *confraternitate Saxo-Haſſiaco-Brandenburgica* egerunt in Diſſert. BENEDICTUS CARPZOV. Lipſ. 1647. & HENR. BODINUS Halæ Magd. 1718. SAM. STRYCK in Diſp. *de potioribus fratrum juribus* C. 1. n. 23. BESOLDUS in *Theſ. pract.* voce *Erbverbrüderung - oder Erbvereinigungen.*

(d) Conf. JOH. PHIL. STREIT Diſſ. *de pacto confraternitatis inter nobiles, aliosque privatos moribus uſitato.* Erford. 1718.

(e) Conf. DUFRESNII Diſſ. 21. ad Joinvillii Hiſtoriam Ludovici IX. Gall. Reg. Germanice verſa a PISTORIO *in Amœnitat. hiſtorico-jurid.* P. VII. p. 1820. *von der Ehrenannehmung an Bruderſtatt, und Gelegenheitlich von denen Waffenbrüdern*, & ejus additamenta ad dictam Diſſ. in præfat. ad cit. Partem VII. *Amœnit.* p. 42. & EVERHARDUS OTTO *in Juriſprudentia Symbol.* Exercit. III. C. 13. *de adoptione principum & privatorum in fratrem per preces, per arma, & ſanguinis potum.* WEHNER *in obſerv. pract.* voce *geſchworne Brüder.*

ad TESCHENMACHERI *Annales Cliviæ* &c. n. 64. p. 56. (f) quod multæ fraternitates nobilium Sæc. XIV. occaſione diffidationum inſtitutæ fuerint veluti *Leonina*, *Willhelmiana*, *Georgiana*, cornutorum &c. expoſuit JOH. PHIL. DATT *de pace J. publica* L. I. C. 7. p. 45. ſeq. CRUSIUS *Annal. ſuev.* L. II. P. III. C. 13. & WENCKER *in apparatu Archiv.* p. 247 frequentiſſimæ pariter fuerunt confraternitates Burgenſium & Opificum in Civitatibus & Oppidis, (g) nec hodie in-

---

(f) Pro Symbolo gerebant fratres in veſtibus acupictum morionem veſtimento coloribus rubro & albo teſſulato, tintinabulisque ornato indutum, ſingulis annis celebrabant curiam, ſeu conventum, & Miſſæ pro defunctis fratribus intererant moriones.

(g) Ex militiæ conſortio descendebant confraternitates illæ Germanorum, quæ plerisque in locis inter Burgenſes & Sodales ejusdem Opificii contractæ fuerunt, & ab antiquiſſimis temporibus ad poſteros transmiſſæ; erat quippe inter Burgenſes & Opifices ſpecies quædam commilitii, dum in armis exercitabantur ſub communi Duce, & per vices omnia onera militum obibant, quæ nomen Confratrum militibus Romanis jam proprium illis progeneravit: Sodales igitur ſinguli Opificii conſtituerunt quaſi turmam militum, qui ſuum elegerunt centurionem, ſeu ducem; cum autem tales Burgenſium & Opificum Confraternitates Friderico III. Imper. & Episcopis ſuſpectæ ac periculoſæ viderentur, A. 1231. caſſavit ille *cujuslibet artificii confraternitates ſeu Societates quocunque nomine vulgariter appellarentur.* Vid. Diploma eatenus Episcopis Germ. datum ac ſæpiſſime editum in SENCKENBERGII *Corp. Receſſ. Imp.* P. I. p. 15. id quod imitati ſunt reliqui Imperatores imprimis Carolus IV. qui *in A. Bulla* Tit. XV. pariter Confraternitates illas plerasque fuit deteſtatus. Conf. DATT *de pace pub.* L. I. C. 14. n. 15. p. 103. & LUDEWIGIUS *in Coment. ad A. Bullam* Tit. 25. §. 1. Lit. M. p. 123. in TESCHENMACHERI *Annal. Cliviæ* &c. p. 10. in Cod. *Dipl.* N. 21. extat Maximiliani II. Imp. Privilegium A. 1566. pro Univerſitate Duisburg. conceſſum, ubi refert Imperator Guilielmum Ducem Cliviæ ſupplicaſſe, *ut omnes & ſingulas Confraternitates Laicorum in quibusvis Oppidis privatis eorundem affectibus inſtitutas, & quarum fructus in Compotationes, aliosque profanos uſus, ex quibus Conventicula, conſpirationes & tumultus, & alia mala oriri conſueviſſent, ut plurimum exponuntur, & convertuntur confraternitatum illarum conſenſu, penitus abolere & abrogare, & illarum fructus præfatæ Univerſitati perpetuo applicare dignaretur.* Quibus præviis Imperator pergit: *tenore præſentium Univerſitatem illam erigimus, inſtituimus, confraternitates privatis Laicorum affectibus inſtitutas penitus abolemus, abrogamus, earum fructus. . . Uni-*

incognitæ ſunt confraternitates compotatoriæ inter Studioſos in Academiis potiſſimum proteſtanticis, & milites iniri ſolitæ. (h) Noviſſime autem enata eſt confraternitas liberorum murariorum (*Freymauerer*) quæ miro modo intra breve tempus per Univerſam fere Europam ſe propagavit. (i)



*Univerſitati illi conſignatos applicamus &c.* Ulteriori etiam in Eccleſiaſticis abuſui anſam dedere hæ confraternitates Opificum more militari adornatæ, comitabantur equidem illæ in certis feſtivitatibus, prout adhuc hodie mos eſt, Proceſſiones ſolennes ſacras, ubi comparebant ex parte in forma militari præeuntibus ſcilicet pro quavis confraternitate centurione, ſignifero, muſicis caſtrenſibus & tympaniſtis, quos reliqui Sodales bini & bini ſequebantur, tympaniſtæ autem hi multiplicati per tot tribus pulſantes tympana talem excitarunt ſtrepitum, ut Proceſſiones illæ magis expeditionem militarem, quam actum ſacrum exhibere viderentur, & hunc abuſum variorum Conciliorum decretis tollere neceſſum fuerit, de quo fuſius aget PRÆSES in Diſſ. *de Proceſſionibus ſacris Catholicorum in Germania.*

(h) Fuſa quoque Diſſertatione A. 1691. Altorfii edita elegans hoc Argumentum illuſtravit HENR. LINCK ſub Tit. *de fraternitate von der Schmauſsbruderſchaft.* Definivit ille Theſ. IV. fraternitatem compotatoriam, quod ſit pactum mutuo conſenſu inter compotationem initum de amicitia fratrum inſtar inter ſe invicem colenda. SAM. STRYCK in cit. Diſſ. *de potioribus fratrum Juribus* C. I. n. 27. ſcribit: *fratrum, qui inter pocula tales ſiunt, Germanice Dutzbrüdere dicti vinculum valde infirmum eſſe, poculoque exhauſto, nil niſi nominis umbram poſt ſe relinquere.*

(i) Necdum ſolidi aliquid de vera Origine, inſtituto & arcanis hujus confraternitatis ſcriptum eſt, licet plurima eatenus circumferantur ſcripta, in Italia prodiit quidem *Dichiarazione dell' Inſtituto e ſcopo de'liberi Muratori, dove ſi prende à confutare il candeliére accéſo de'liberi Muratori eretto di freſco in Rovereto* 1749. Verum Author hujus ſcripti ſuis floſculis Oratoriis non ſolvit ænygma; memorabilis eſt *Bulla* BENEDICTI XIV. Pontif. circa fraternitatem liberorum murariorum edita A. 1751, qua ſui anteceſſoris Clementis XII. Bullam circa idem objectum promulgatam, & vi cujus hæcce confraternitas Catholicis ſub pœna Excommunicationis ipſo facto absque ulla declaratione incurrenda, & abſolutione præterquam in Articulo mortis ſoli Pontifici reſervata fuit inhibita, confirmavit, legi poteſt hæc Bulla in *Bullario* BE-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0021-1

## §. II.
## DE CONFRATERNITATIBUS SACRIS.

Antiquiſſimæ pariter & Chriſtianismo coævæ fuere confraternitates ſacræ, quæ ſunt Conventiones inter plures Religionis & pietatis cauſa initæ eo potiſſimum fine, ut jura ſacra & bona Spiritualia inter fratres communicentur; erant hæ quoque ſpecie diverſæ & multiplices, ac pariter ad noſtra usque tempora pervenerunt. Quod primi Chriſtiani in vera fraternitate, dum etiam omnia illis erant communia, fuerint conſtituti, & ſe fratres ſalutarint, in vulgus notum eſt (a) in

BENED. XIV. Pontif. & in Opere, quod ſub Tit. *Sſmi Dni. noſtri Papæ XIV. conſtitutiones ſelectæ* &c. 1766. Romæ prodiit, P. I. N. 83. p. 175. ſeq. applicavit ille ad materiam ſubſtratam CÆCILII NATALIS apud MINUCIUM FELICEM effatum: *honeſta ſemper publico gaudent, ſcelera ſecreta ſunt*, ſubjunxitque, jam de jure civ. ſodalitia ſine pub. auctoritate ſociata fuiſſe prohibita, uti videri eſſet in Pandectarum L. XVII. Tit. 22. *de Collegiis & Corporibus illicitis.* Et in celebri Epiſtola 6. PLINII CÆCILII SECUNDI, quæ eſt XCVII. L. 10. De cætero conſtat, quam deteſtanda ab initio huic fraternitati fuerint imputata, Theologi variarum Religionum dixerunt, illam eſſe quoad vitæ rationem propaginem Gnoſticorum, & Priſcillianiſtarum, cui proprium eſſet principium, quod de Priſcillianiſtis teſtatus eſt AUGUSTINUS *jura, perjura, ſecretum prodere noli.* Hodie autem in plurimis Regnis & Civitatibus liberi murarii publice celebrant ſuos Conventus, edunt multas cantilenas, Calendaria & alia ſcripta, jactantque Reges & Principes, ſuos eſſe confratres, deprædicataque eſt ſæpius in Novellis eorum φιλανθρωπία erga infantes a meretricibus expoſitos. Siniſtra autem horum Confratrum fata in Civitate Neapol. exhibet *Geſchichte des Schickſals der Freymaurer zu Neapel*, quæ hoc Anno Lipſiæ 8. prodiit.

(a) Argumentum hoc excoluere ſcriptores, qui de Antiquitatibus Chriſtianis egerunt, veluti BINGHAM *Antiquit. Eccl.* Tom. I. p. 1. MAMACHI *Origin. & Antiquit. Chriſt.* L. I. FLEURY *in Disciplina populi Dei in novo teſtamento* Cap. X. *de concordia Chriſtianorum.* SIGISM. JAC. BAUMGARTEN *in primis lineis Breviarii Antiquit. Chriſt.* C. I. §. 43. ſcribit: *Chriſtiani olim omnes fratrum ſororumque nomine mutuo utebantur*, & in Scholio: *fratres etiam Judæi ſe appellabant*, non raro Apo-

in ſpecie autem Episcopi & Clerici reliqui ſe nominarunt Fratres, prout Pontifex adhuc hodie omnes Episcopos Fratres ſalutat. C. 6. X. de crim. falſi

---

*Apoſtoli*, *Paulus certe* συνεργους *miniſterii pub. ſocios Fratres nominat, fere ut poſtea Episcopi Episcopos, alii autem Chriſtiani, alios ſui Ordinis aut ſtatus Fratres appellarunt.* Conf. SCHERTZERS *Abhandlung vom Brudernahmen im neuen Teſtament*, quod opusculum A. 1768. Coburgi prodiit. Ad imitationem primorum Chriſtianorum Fratrum nomen aſſumſerunt Sectarii ex Wiclefiſtis & Huſſitis in Bohemia & Moravia enati, ex poſt Lutheranis & Calviniſtis ex parte Sociati, qui veniunt ſub nomine *Fratrum Bohemicorum vel Moravicorum*, de quibus ſcripſit CHRIST. WILLH. FRANC. WALCH in Compendio *Hiſtoriæ Eccl. recentis.* p. 370. *quamvis nulla ſit dubitandi cauſa in Bohemia supereſſe haud parvum eorum numerum, qui puriorem doctrinam a majoribus acceptam conſervent, & ad poſteros transmittant, triſtior tamen ſtatus, in quo inde a Ferdinandi II. ætate collocati ſunt, efficit, ut inter Eccleſias occultas Deo ſoli cognitas referantur.* Ex hisce Fratribus Moravicis enati ſunt alii, quos cit. WALCHIUS inter Fanaticos Religionis Proteſt. refert, *Herrenhuthani* quippe ſeu *Zinzendorffiani*, qui ſe nominant *Fratres Unionis* (Unitätsbrüder) de quibus egerunt GEORG. WALCH *in der Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der Evang. Luth. Kirch.* vol. V. p. 598. ſeq. *Acta Hiſtorico-Eccl.* JOH. PHIL. FRESENIUS *in denen bewährten Nachrichten von Herrenhuthiſchen Sachen.* CHRIST. WILLH. FR. WALCH l. c. 240 ſeq. de hisce legebatur in Novellis Francofurt. curſus] pub. Cæſ. ad diem. VIII. Maji 1780. n. 74. inter nova promiscua: *Jetzt verdienen inſonderheit die eifrigen und glücklichen Bemühungen der Brüder-Unität viel Aufmerkſamkeit: denn ſie breitet ſich nicht nur in Europa je länger, je weiter aus, inſonderheit in Deutſchland, [Engelland, Schottland und Irland, ſondern auch in Süd- und Nordamerica, und Weſtindien, in Aſia und Africa, unter den alten einheimiſchen Völkern in Nordamerica errichtet ſie eine Miſſion nach der andern; der Negren nehmen die Brüder ſich ſehr an, und ſie ſtiften nicht nur von Zeit zu Zeit neue Gemeinen unter den Negern auf den Däniſchen Inſeln in Weſtindien, ſondern haben dergleichen auch angefangen auf Barbados und S. Chriſtophe oder S. Kits, an zwey Orten zu Antiogia, in Suriname und Berbice, in terra Labrador iſt auch ſchon ein Gemeinlein von getauften Eskimor. In Aſia hat ſich nicht nur ihre Gemeine zu Sarepta in der Aſtrachanſchen Statthalterſchaft des Ruſſiſchen Reichs wieder erhöhet, ſondern ſie haben auch zu Peramfore in Bengalen etwas angefangen, obgleich in Africa ihr zweiter Verſuch in Guinea eben ſo, wie der erſte mislungen iſt, ſo haben doch die nach Egypten geſandten Brüder bey den dœſigen Chriſten guten Eingang gefunden.* Verum obscœniſſima hisce Fratribus Unionis imputantur.

falſi. (b) Præterea ex quo tempore orti ſunt Monachi variorum Ordinum, inter hos quoque reſpectiva enata eſt Confraternitas, ita ut paſſim ſe Fratres compellarent; pariter, dum Capitula Eccleſiarum Cathedr. & Collegiatarum ſunt enata, Canonici illarum quoque Eccleſiarum tanquam Confratres (Chorbrüder) ſunt ſuſcepti, ita ut LAMMERS in Tract. *de jure Statut. & conſuetud. optandi Canonicos in Eccleſiis Cathedr.* P. III. Erot. 65. p. 98. definiat Canonicatum, quod ſit *jus Spirit. ex Cooptatione ac receptione in Fratrem ſcaturiens*, (c) paſſim etiam

---

(b) Prohibita autem fuit merito tam per Canones, quam leges civiles Confraternitas ſingularis contracta a variis clericis cum fœminis extraneis, quas in ſuis ædibus alebant ſub ſpecioſo *Sororum* nomine, cum enim talis Fraternitas ſæpe fuerit pallium turpium amorum, vel ſaltem incontinentiæ periculum ſuppeditaret, inde jam Sæculo IV. in celebri CONCILIO ILLIBERITANO Can. 27. & in NICÆNO I Can. 3. ſtatutum eſt, *ne Epiſcopo, ne Presbytero, ne Diacono, nec alicui omnino qui in Clero eſt, liceat, ſubintroductam habere mulierem, niſi forte aut matrem, aut amitam, aut etiam eas idoneas perſonas, quæ fugiant ſuſpicionem*, id quod multis poſtea Decretis Conciliorum innovatum fuit. Conf. Tit. Jur. Can. *de cohabitatione Clericorum & mulierum.* Imperatores etiam Honorius & Theodoſius in L. 19. Cod. *de Epiſc & Clericis* inculparunt Clericos, quod *Conſortio Sororiæ Appellationis decolorarentur*, hoc eſt, quod fœminis ſub Sororum nomine adſcitis maculam ſibi aſpergerent, & Sanctitatem ſui Ordinis contaminarent: & JUSTINIANUS Imp. in *Nov.* 123. C. 29. & *Nov.* 133. C. 3. Epiſcopis omne cum mulieribus domeſticum commercium ademit, reliquis autem clericis ſub pœna remotionis interdixit, nequam præter cognatas, Sorores, Matrem & amitam, de quibus nemo ſuſpicari poſſet, turpitudinis cauſa illas adſcitas eſſe, domi alerent, & *Sorores* appellarent. Conf. DESIDERIUS HERALDUS *de rerum judicat. auctoritate* L. II. C. 20. in *Theſauro* OTTONIS Tom. II. p. 1258.

(c) Idem multo magis obtinet ratione Canonicorum regularium, de quibus tamen refert TROMBELLI nelle *memoire di S. Maria di Reno.* p. 168. „Quod in Capitulo „generali Congregationis Renenſis A. 1562. concluſum fuerit mutare titulum Fra„trum in Dominorum, quod autem hoc diſplicuerit zeloſis allegantibus: *nullibi* „*Canonicos Regulares ab eorum primæva inſtitutione appellatos domnos*, [*quod Apoſtoli* „*ſe nominarint Fratres*, *quod ita ſuos Clericos compellarit S. Auguſtinus*, & ſic „retinuerint ſemper idcirco Canonici Salvatoris Originem veram, & nominis „Fratrum Decorem a Domino Jeſu Chriſto.„

etiam Canonici Eccleſiarum Cath. Germ. Fratres S. Martini, S. Kiliani, S. Petri, S. Georgii &c. nominati ſunt. (d) Aliæ autem Confraternitates ſacræ in ſenſu ſtrictiori ſumuntur, & huc potiſſimum ſpectant Confraternitates in honorem Dei ad recolendum aliquod Religionis Myſterium, vel ſub invocatione alicujus ſancti, vel pro Defunctis inter Laicos inſtitutæ: (e) Celebriores autem omnium Confrater-

(d) Conf. PRÆSIDIS Diſſ. *de Moguntino S. Martini Monaſterio*, & CAR. FRID. SCHOEPFII *Relationes Diplomatico-Hiſtoricæ de Fratribus Domus S. Kiliani*, quæ A. 1741. Norimb. prodierunt. In documentis Mogunt. Canonici Eccleſiæ Colleg. B. M. V. ad Gradus Mogunt. nominantur *die Brüder unſer lieben Frauen auf den Greden.*

(e) Joannes Mog. Archiep. A. 1407. Confraternitatem Cellenſem ſub Patrocinio S. Philippi Cellenſis erectam confirmavit, diploma a BOLLANDISTIS Tom. I. *Maji* p. 772. & in Cl. WüRDWEINII *ſubſidiis Dipl.* Tom. VI. p. 36. editum eſt, uberiorem autem de hac Confraternitatem notitiam dedit Cel. *Jung* in *Philippo Cellenſi* p. 13. ſeq. & Confraternitatem S. Georgii equeſtrem nobilium Caſtri Fridburg. Confirmavit. Bertholdus Archiep. Mogunt. A. 1492. apud GUDENUS in *cod. Dipl.* Tom. IV. p. 494. de talibus Confraternitatibus Decretum jam exhibet REGINO Can. 432. in HARTZHEMII Tom. II. *Conc. Germ.* p. 580. & in Viſitationibus Archidiacon. in Claris. WüRDWEINII Præfat. ad Tom. I. *Diœceſis Mogunt. in Archidiac. Diſtinctæ* occurrit Interrogat. 85. *de Confratriis*; ad tollendas harum Confraternitatum abuſus hinc inde enatos frequentes in Conciliis Germ. factæ ſunt Ordinationes Conf. HARZHEMII *Concil. Germ.* Tom. IV. p. 374. & 487. Tom. V. p. 370. & 403. Tom. IV. p. 296. Cap. 21. p. 729. & 735. Tom. VIII. p. 437. 596. 928. 963. n. 18. Tom. IX. p. 115. 145. 313. 323. 375. 445. 471. 544. Cap. 34. p. 708. Cap. 12. p. 830. 879. & 985. Tom. X. p. 194. 234. 364. 554. 686. 688. 769. 800. & 810. erudite de hiſce Confraternitatibus egerunt ESPENIUS *in Jure Eccl. Univ.* P. 1. Tit. 37. C. 6. p. m. 718. ſeq. MURATORIUS *della regolata divozione dei Chriſtiani.* Cap. XXIV. & in *Antiquit. Ital.* Diſſ. 75. *de piis Confraternitatibus Laicorum, & earum Origine &c.* ubi deduxit jam penes Romanos gentiles Confraternitates ſacras receptas fuiſſe. Add. DUFRESNE in *Gloſſ. Med. ævi* voce *Frater.* Ex Proteſtantibus, qui autem multa eatenus ſecundum ſuum concipiendi modum præpoſtere expoſuere, Thema hoc pertractarunt JOACHIM FELLERUS in Diſſ. *de Fratribus Kalendariis*, KUCHENBECKER, qui in *Analectis Haſſ. von denen Calandsbrüdern* frequentem fecit mentionem, GISBERTUS VOETIUS in Tr. *de Confraternitate Mariana*, B. G. STRUV. *in dem hiſtoriſch-politiſchen Archiv.* P. II. p. 9. ſeq. *von der Bruderſchaft des Fronleichnams zu Græſſenthal.* JOH. DAV. KOELER in

ternitatum ſacrarum ſunt illæ, quæ inter Eccleſias Cathedrales & Collegiatas, nec non Monaſteria Germaniæ fuere initæ, (f) quæ ſunt præſentis Diſſertationis objectum, cujus elaborationem eo majori cum promptitudine in nos ſuscepimus, cum

---

in Diſſ. *de ſacra & illuſtri Sodalitate B. M. V. in monte ad vetus Brandenburgum;* Fraternitates hæ in Dania cis- & transmarina dictæ ſunt, *Gildæ* ſeu *convivia*, de quibus multa protulit PETRUS TERPAGEN *in Ripæ cimbricæ ſeu urbis Ripenſis in Cimbria ſitæ deſcriptione* Sect. XIII. p. 418. ſeq. de vocabulo *Gilda* egit MURATORIUS l. c. in *Antiquit. Ital.* & quod tales Confraternitates in Italia quoque *Scholæ* nominatæ ſint, probavit idem l. c.

(f) Quod jam circa dimidium Sæculi VIII. tales Confraternitates initæ fuerint, probavit Rds. GERBERTUS in *vetere Liturgia Alemannica* Tom. III. p. 1040. ex Epiſtolis Bonifacii, & Lulli Archiep. Mog. In *Synodo Attiniacenſi* A. 762. celebrata Tom. VIII. *Conc.* p. 461, cui plures Germaniæ Episcopi cum Lullo Archiep. Mog. interfuerunt, legitur: *hoc quoque communi cunctorum Decreto ſtatuerunt, ut unusquisque illorum, quorum nomina in hoc indiculo ſupter ſcripta reperiuntur, quando quislibet de hoc Sæculo migraverit, centum Pſalteria, & Presbyteri eorum ſpeciales miſſas centum cantent. Ipſe autem Episcopus per ſe XXX. miſſas impleat, niſi infirmitate, aut aliquo impedimento prohibeatur, tunc roget alterum Episcopum pro ſe cantare. Abbates vero qui non ſunt Episcopi, rogent Episcopos, ut vice illorum ipſas XXX. miſſas expleant & Presbyteri eorum centum miſſas & Monachi centum Pſalteria pſallere meminerint.* Aliud, quod deprehendimus, talis Confraternitatis in Synodo Germanica initæ exemplum, occurrit in Concilio Bav. A. 774. apud Dingolvingam celebrato a Taſſilone Bavariæ Duce, in HARTZHEMII Tom. I. *Conc. Germ.* p. 128. ſeq. in cujus fine mentio fit de *Collaudatione, quam Episcopi & Abbates in Bojoaria inter ſe fecerunt pro Defunctis Fratribus*, & ſequentia ſubjunguntur: *in Chriſti nomine. Notitia, qualem conventionem gentis Bajoariorum Episcopi & Abbates inter ſe fecerunt, quorum nomina infra perarare ſtylo decrevimus, id eſt Manno Nuvenpurgenſis* (Neuburgenſis) *civitatis Episcopus, Alim* (Sabionenſis ſeu Brixin. Episcopus) *Virgilius,* (Salisburg) *Wiſerich*, (Bataviensis) *Sintpreth*, (Ratisbonenſis) *Heres*, (Friſing.) *Episcopi; Oportunus, Wolffprith, Adelpreth, Ato, Uto, Lantfrit, Albune, Ruothart, Erneſt, Reginpreth, Volckenhart, Perchkoch, Sigido Abbates. Ut eorum quis de hac luce migrarit, unusquiseue ſuperſtitum Episcoporum vel Abbatum pro Defuncto in Domo ſua Episcopali vel Cœnobio 6. miſſas ſpeciales & eodem numero Pſalteria cantari faciat, ipſe*

cum nemo hactenus de illuſtrando eleganti hoc argumento cogitarit. Singularum igitur Eccleſiarum Metropol. Cathed. & Collegiatarum Germaniæ Confraternita-

 tes

---

*ipſe vero de propria perſona ſua XXX. ſpeciales miſſas compleat, vel a Religioſis ſibimet ſubjectis impleri omnino prænotatum faciat numerum. Presbyteris ſive Monachis, cum de hoc Sæculo migrarint Epiſcopus ſeu Abbas uno Presbytero vel uno Monacho XXX. miſſas ſpeciales, totidem Pſalteria faciant celebrari.* Locum hunc eruditis notis illuſtravit celeber. RESCHIUS *in Hiſtoria Eccleſiæ Sabionenſis nunc Brixinenſis* Tom. I. ad A. 772. PETRUS LUDEWIGIUS ſuæ Diſſertationi *de principum S. R. J. poteſtate in ſacris ante paces Religionis*, in qua Principibus Cathol. invitis obtrudere voluit argumentis haud concludentibus & ex parte ridiculis jus circa ſacra, quod nunquam ambiverant, ſubjunxit quoque Synodum Dingolſing., eique notas adjecit, & prout ait, primus in omnium verborum ſenſus penetravit, omiſit autem prædictam Collaudationem, ſeu Confraternitatem, quæ tamen pars eſt illius Synodi: multo minus ſuas illi notas adjunxit, dubio procul ideo, quia non in ſenſus omnium verborum illius Collaudationis penetrare potuit, vel illam cum ſuæ Religionis, quam ſaltem externe profeſſus eſt, principiis combinare haud potuit; de cætero illa ſic dicta collaudatio eſt pariter, ut verbis Ludwigii utamur, inſigne monumentum Eccl. Sæculi VIII., ex quo non ſolum uſus miſſarum particularium pro illo tempore, & Dogma ab univerſa Eccleſia circa fundendas pro Defunctis preces, & applicanda pro iis miſſarum Sacrificia acceptatum, ſed & uſus Confraternitatum ſacrarum ad obtinendam poſt mortem bonorum Spirit. communicationem evidentiſſime probantur, quorum omnium continuatio haud interrupta in Eccleſia Cathol. ab illo ævo usque ad noſtra tempora per ſolas Confraternitates ſacras ſubſequentibus Sæculis in uſu ſemper ſervatas & in decurſu allegandas denuo apodictice ſtabilitur: ſimiles Confraternitates pro ſuffragio defunctorum factæ ſunt in Gallia A. 840 in *Synodo Cenomica* apud BALUZIUM Tom. III. *Miſcell.* p. 146. Conf. MABILLONIUS in *Annal. Bened.* ad d. A., & in Italiæ Romæ A. 894. Conf. BARONIUS in *Annal. Eccl.* ad d. A. Quod autem antiquiora concernit tempora, ſic, ne dicam, quod jam gentiles, qui quarundam veritatum veluti Creationis mundi, diluvii, immortalitatis animæ, Cœli & Inferni, Diabolorum &c. cognitiones fabulis licet incruſtatas habuere, ſceleratos poſt mortem in tartarum a Furiis perpetuo cruciandos, aliorum autem animas nonniſi purgatas ad campos Eliſios transmiſerint, communis Hebræorum tum temporis electi Dei populi fuit perſuaſio reſtare expianda mortuorum animabus quandoque peccata, *& ſanctum ac ſalubre eſſe pro iis ſacrificia*

*&*

tes ex Diplomatibus, Teſtimoniis ſcriptorum coævorum, & recentioribus Eccleſiarum Germ. Scriptoribus multo labore collectas ſuo ordine ſumus exhibituri.

§. III.

---

& *preces offerre, ut a peccatis ſolvantur.* II. Machab. 12. & ſi libri Machabæorum contra Eccleſiæ Cath. ſenſa, quæ utrumque Machabæorum librum Canonicum ab antiquo habuit, prout deduxit ALEX. NAT. *in Hiſt. Eccl.* Tom. II. Diſſert. 7. Art. 8. p. m. 390 ab adverſariis e Canone ſacrorum librorum expungantur, denegari ſaltem eatenus illis tam parum poteſt fides Hiſtorica, quam parum Joſepho & Philoni Judæis, quodſi autem & hæc cum inſania libris Machabæorum denegetur, probatur factum a poſteriori ex eo, quod hodierni adhuc Judæi priſtinorum Dogmatum, rituumque tenaciſſimi, quosque ad probandam S. Scripturæ veritatem præſertim contra hodiernos incredulos divina ſervavit providentia, pro ſuis Defunctis multis diebus preces perſolvant. morem hunc Judæorum nec Chriſtus, nec Apoſtoli, nec ullus virorum Apoſtol. ipſis vitio vertit, adeoque in eo nullus poſitus erat error, ſed potius Dogma illud ſervavit quoque Eccleſia Chriſtiana, noviter ſuper veteri Synagoga potiſſimum fundata, & illud ab Apoſtolis antea Judæis per traditionem ad Chriſtianos eſt propagatum: id quod in defectu ſcriptorum primi Sæculi probatur ex teſtimonio Patrum Sæculi II., quo tempore florebant Episcopi & Doctores ab Apoſtolorum Discipulis adhuc inſtituti, nec non homines, qui aliquam ætatis ſuæ partem Sæculo I. egerant, qui non commendaſſent ex traditione Apoſtol. conſuetudinem Orandi pro Defunctis, ſi illa primi Sæculi Chriſtiani Doctrinæ & moribus adverſa fuiſſet: nec etiam hoc in caſu tacuiſſent Episcopi Sæculi II., ſi novus ab aliquibus error contra uſum & traditionem Sæculi I. voluiſſet introduci, prout illi aliorum veluti Montaniſtarum errores oppugnarunt. Ad teſtes autem hujus traditionis & ſecundo, & ſequentibus ſæculis ſpectant S. DYONISIUS libro *de Eccl. Hierarchia* C. VII. *Acta SS. Perpetuæ & Fœlicitatis*: quorum fides poſt tot veterum Patrum teſtimonia ſatis eſt vindicata, TERTULLIANUS Libro *de Monomagia* C. 10. *Cyprianus* Epiſt. 66. ORIGENES *Homilia* 28. *in Numeros*, & L. 5. *contra Celſum*: fruſtra autem quidam fabulam Purgatorii ex ſomniis Origenis enatam eſſe effutiunt, cum jam alii graviſſimi Patres ante Origenem idem docuerint, & ſi eatenus Origenes contra traditionem Apoſtol. erraſſet, ipſius adverſarii, qui damnationem ejus ob varias ſententias erroneas effecerunt, etiam hanc ejus circa purgatorium & preces pro Defunctis ſententiam objeciſſent, nullus autem hoc Caput Doctrinæ Origenis, quod Eccleſiæ traditioni conforme erat, oppugnavit, oppugnata autem eſt Sæculo IV. contraria Aerii ſententia, quæ demum poſt multa Sæcula a Petrobuſianis, Waldenſibus, & tandem no-

vio-

## §. III.

## *DE CONFRATERNITATIBUS ECCLESIÆ METROPOL. MOGUNT.*

Ut autem de prima inter omnes Eccleſias Germaniæ Moguntina ſcilicet initium faciam, ſic ab antiquis retro temporibus usque ad noviſſimum ævum plurimæ ab illa initæ ſunt Confraternitates partim cum aliis Eccleſiis Metropol. & Cathedralibus, partim etiam cum Monaſteriis, quæ autem Confraternitates



vioribus temporibus fuit reſuſcitata, tanquam hæretica autem in Conciliis eſt damnata: prioribus teſtibus accedunt ARNOBIUS L. IV. *adverſus gentes*, CYRILLUS HYEROSOL. *Catech. Myſtagogica* 5., GREGORIUS NYSSENUS *in Orat. de Mortuis*, GREGOR. NAZIANZ. *Orat.* 39. *in ſancta lumina*, EUSEBIUS CÆSAR. L. IV. de vita Conſtantini Imp. C. 71. EPIPHANIUS *hæreſi* 75. quæ eſt Aerianorum, ubi eatenus ad traditionem provocavit, ut Chryſoſtomi, Auguſtini, Ambroſii, Gregorii M. aliorumque Patrum & ſcriptorum Eccl. medii ævi loca ſatis nota ſilentio præteream. Idem patet ex Conciliis Eccleſiæ Afric. *Carthaginenſi* ſic dicto III. Can. 29., Carthag. IV. Can. 79., ex antiquis Liturgiis, in quibus Defunctorum commemoratio Canoni ſubjuncta legitur, ex Conſenſu Eccleſiæ Græcæ cum Latina, quem ex ſcriptoribus Græcis probavit ALEX. NAT *in Hiſt. Eccl.* Tom. IV. Diſſ. 45. *adverſus alterum Aerianæ hæreſeos Caput de purgatorio* p. m. 596. Inſtituit præterea Eccleſia commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum ad diem 2 Nov., quibus omnibus accedit novum Teſtimonium ex Confraternitatibus Eccleſiarum deſumtum, imo quod a nemine hactenus adductum legimus. Mahometus, qui ex Gentiliſmo, Judaiſmo & Chriſtianiſmo unam voluit conflare Religionem, & ex harum inſtitutis unionis cauſa varia adoptavit, perſpiciens commune Judæis & Chriſtianis Dogma eſſe pro Defunctis orare & eleemoſynas elargiri, retinuit hoc quoque inſtitutum, unde adhuc hodie penes Turcas Conſanguinei & amici defuncti multis diebus frequentant ejus ſepulchrum ac pro illo ſuas perfundunt preces, exponunt etiam multi Mahometanorum cibos cum potu ſuper ſepulchrum, ut prætereuntes pauperes per modum eleemoſinæ iis fruantur, & pro ibidem ſepulto pariter orent. Verum novis armis impugnavit hoc Dogma recentius JOH. CHRISTOPH. KöCHERUS Prof. Theol. Jenenſis in *obſervationibus* ſe-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0029-9

merito dividuntur in antiquas, quæ paſſim fere in deſuetudinem iterum abierunt, & in recentiores, quarum adhuc hodie ſuus eſt vigor: quod concernit antiquiores, ſi Ordinem Chronologicum attendamus: 1mo.) antiquiſſima forſan fuit Con-

---

*ſelectis controverſias, quæ inter Pontificios & Proteſtantes agitantur, illuſtrantibus* Obſ. IV. *qua Pontificiorum ignem purgat. precibus eorum extinxit.* Inſulſus hicce Theologus, quem alibi jam perſtrinximus, & qui Catholicos nonniſi *Pontificios ſeu Papiſtas, Pontificis Romani ſectam profitentes*, Eccleſiam Cathol.: *Eccleſiam Papæam, Religionem Papæam* &c. nominat, & penes quem Romana Eccleſia nonniſi *comminiſcitur, & mentitur*, excerpſit inutili opera ex Breviario, Miſſali, Rituali, aliisque libris Catholicorum Liturgicis formulas precum pro Defunctis vel morientibus, quibus Sacerdos Deum rogat, *ut cunctarum indulgentiam largiatur culparum, ut maculas de terrenis contagiis adhærentes remiſſionis ſuæ miſericordia deleat, ut per hoſtiam famulo in extremo vitæ conſtituto concedat, ut per eam univerſa illius purgentur delicta, ut Defunctus factorum ſuorum in pœnis non recipiat vicem, ut liberetur famulus in hac hora mortis ſuæ ab omnibus pœnis & paſſionibus, quas pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe* &c. Ex hisce facit pulchram hanc concluſionem: „ quid itaque „ quæſo deprehendet Deus, juſtus Judex in anima ex hac vita egreſſa adhuc eluen„ dum, purgandum, & puniendum, quæ omnium culparum, reatuum, pœnarum, „ & paſſionum veniam clementiſſimam ab eo impetravit, & in ipſa hora exitus „ absque peccati macula coram ipſo apparet? profecto, quod dictu nefas & im„ pium, inconſtans Deus, iniquus ſibique ipſi contrarius eſſet, ſi remiſſo omni „ culpæ ac pœnæ reatu nihilo ſecius delictorum pœnam poſt mortem ab homine „ exigeret. „ 2.) Inſtat: „ aut credit Eccleſia Romana benigniſſimum Numen „ ea, quæ orat, exauditurum, hominique pœnas, quas peccatis ſuis promeruit, „ omnes ac ſingulas condonaturum eſſe, aut contrarium ſentiens illi ipſi precibus „ ſuis turpiter & flagitioſe illudit, quodcunque horum affirmes, conſequens eſt „ eam de purgatorio ſuo repugnantia inter ſe docere, atque precari. „ 3.) Ait Eccleſiæ Pontific. miniſtros in ſuis precibus pro Defunctis vel morti vicinis non levamen aliquod ignis purgatorii, aut finem pœnarum in eo luendarum miſeris animabus optare, ſed prorſus alia precari, quæ purgatorio manifeſte adverſantur, nempe: *magnum hodie & plenum convivium de Chriſto pane vivo, requiem æternam, ſanctorum Conſortium, gaudium ſempiternum in Regione vivorum, lucem perpetuam, ut aperiantur illi Cœli, collætentur ei Angeli, in Regnum tuum Domine ſervum tuum ſuſcipe, veniant illi obviam SS. Angeli, & perducant eum in civitatem cœleſtem Jeruſalem* &c. addit plenos eſſe hujus generis & argumenti orationum libros omnis ævi, om-

Confraternitas Eccleſiæ Moguntinæ cum Turonenſi S. Martini Eccleſia, licet inſtrumentum primævum fuerit deperditum, prout patet ex Diplomate de A. 1219. in GUDENUS *cod. Dipl.* T. I. p. 464. ubi dicunt Turonenſes: *quia vero ab an-*

---

omnisque memoriæ rituales, Liturgias Jacobi, Marci, Baſilii, Chryſoſtomi, librum Sacramentorum S. Gregorii, Sacramentarium Gallicanum &c. 4.) Opponit ipſos Catholicos neſcire, quid orent illa oratione contradictoria: *Domine Jeſu Chriſte, Rex Gloriæ, libera animas omnium fidelium Defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eos de Ore Leonis, ne abſorbeat eos tartarus, ne cadant in obſcurum, ſed ſignifer S. Michael repræſentet eas in lucem ſanctam* &c. ſubjungitque „ adeone „ verbis ludit pia Mater Eccleſia & hominibus ex hac vita migrantibus fucum „ facit, ut lucem, gloriam, vitam, requiem æternam hodie in hora exitus, in „ hora mortis, ſtatim poſt obitum conſequendam illis ſæpius optans precansque „ hoc de felicitate intelligat, quæ poſt longum temporis ſpatium demum continget, „ certoque obtinebitur, aut mentitur itaque precibus ſuis Eccleſia, aut pii homines „ ſimul, ac de vita decedunt, ad gloriam regni cœleſtis gaudiumque ſempiternum „ perveniunt. „ 5.) Urget unum genus precum purgatorio aperte refragari, illudque funditus evertere, in quibus ſcilicet dicitur: *animas fidelium Dei miſeratione quiſcere, in Chriſto dormire, in Chriſto quieſcere;* cum in Chriſto quieſcere & dormire dicantur tantum illi, qui vera in eum fide vita defuncti pleniſſimam peccatorum omnium remiſſionem impetrarunt, & ſecundum Corpora quidem in terra quieſcunt, ſecundum animas vero in æterna ſummaque cum illo felicitate verſantur, jam qui beatiſſima Salvatoris optimi amicitia & conſuetudine fruuntur, in purgatorio hærere, ejusque pœnas ſentire nequeunt. Argumentis hisce ignem purgatorium extingui ſibi perſuadet vir nimis credulus, verum non penetravit ille, ſicut Ludewigius de ſe gloriatus eſt, in veros ſenſus verborum precum Catholicorum, adeoque nec mirandum, quod tam præpoſtera attulerit: nam ad 1mum: qualis concluſio: Catholici precantur Deum, ut ex Gratia morituris vel Defunctis pœnam ſuorum peccatorum remittere dignetur, ergo tales Defuncti vel morientes omnium pœnarum veniam a Deo impetrarunt, & ſine macula coram ipſo apparent; ſupponamus reum quendam, qui Principem offendit, ad certas pœnas damnatum eſſe, vel comparere debere alium reum coram tribunali ejus, ſi pro utroque penes principem fundamus preces, ut utrique gratioſe indulgere velit, quis erit tam ſtupidus, ut ex hisce interceſſionibus concludat reum illum pœnarum veniam impetraſſe, hunc autem ſine macula coram principe comparere? injuſtus etiam utique foret talis princeps, ſi remiſſis ob preces noſtras omnibus pœnis, nihilo ſecius pœnas

Quod Eccleſia Cathedr. Paderbornenſis jam Anno 836. occaſione translationis Reliquiarum S. Liborii, (c) quas ab Aldrico Epiſcopo Cenomanenſi dono accepit, per-

temporis in Saxonia infer. armis cæſareis prædictus Ferdinandus Episc. Hildes., verum A. 1634. cæſis copiis cæſareis duces Brunswic. integrum iterum occuparunt Episcopatum Hildes., donec tandem A. 1643. amicabilis inita fuerit compoſitio conditis variis Receſſibus, vi quorum Episcopo Hildes. præter minorem ſic dictum Episcopatum ex 19. præfecturis majoris Episcopatus duodecim ſunt reſtitutæ, ſeptem autem, quæ 85. pagos continebant, ducibus fuere relictæ.

(c) De S Liborio conf. *Acta SS. Antwerp.* Tom. VI. Menſis Julii ad Diem 23. Julii p. 395. ſeq. ubi variorum Biographorum veterum ſcripta occurrunt. SCHATENIUS *Annal. Paderborn.* Tom. I. p. 69. & 71. MICH. STRUNCKII continuatoris Schatenii Annal. Paderborn. *Epitome Hiſt. de Vita Reliquiis & Beneficiis admirabilibus S. Liborii Epiſc. Paderanæ Urbis ac Diœceſis Patroni tutelaris occaſione Jubilæi Liboriani.* A. 1736. *edita.* ANONYMI *neunhundert jähriges Dank Lob- und Jubelfeſt.* Colon. 1736 & JOH. DAV. KOELER *in denen Müntzbeluſtigungen* de A. 1747. p. 410. ſeq. Solennitatem Jubilæi Liboriani A. 1737. Paderbornæ celebratam exhibent *Author Anonymus deſcriptionis ſacri Triumphi, quem S. Liborio Confeſſori Epiſc* &c. *ad Paderæ fontes adornavit. Reverendiſſimus Serenis. & Eminentiſſ. Princeps ac Dominus Clemens Auguſtus* &c. Paderb. 1737. editæ, nec non alieno calamo cit. KOELER l.

perpetuam cum Eccleſia Cathedr. Cenomanenſi (*Mans* in Gallia) Confraternitatem iniverit, teſtatur ANONYMUS Coævus *in Hiſtoria Translationis Reliquiarum S. Liborii* Tom. V. *Actorum Sanct. Antwerp.* Menſis Julii ad Diem 23. Julii C. VI. n. 24. Scribens: *dehinc inter utriusque Eccleſiæ Cenomanicæ videlicet & præfatæ Paderbornenſis congregationes perpetuæ Fraternitatis charitas firmata eſt.* Inſigne etiam commodum Eccleſiæ Paderanæ priori ſæculo attulit hæcce Confra-

---

l. c. P. XX. de A. 1748. p. 59. ſeq., ubi autem ex mera malitia denigrare conatus eſt *Strunckium*, eumque Calumniatorem, miſerum Scriptorem, & in Hiſtoria ABCdarium compellavit; quod autem ita exacerbatus fuerit *Koelerus* contra *Strunckium*, dum hic interdum Scapham, Scapham nominavit, & qua Theologus hæreticorum elogio aliquoties uſus fuit, eo magis mirandum, cum & ipſe *Koelerus* adhuc magis contra Catholicos maledicus fuerit, & in ſua Hiſtoria Imp., aliisque Scriptis Catholicos *die Päbſtler*, Epiſcopos *die Pfaffen*, S. Henricum *de Pfaffenkayſer* &c. injurioſe compellarit, de aliis mordacibus & aculeatis ejus flosculis nihil memorando: debuiſſet potius *Koelerus* memor fuiſſe illius adagii: *ſi culpare velis, culpabilis eſſe cavebis*, & quod *in Sylvis reſultet Eccho.*

Diſſertationem multis bonis obſervationibus refertam A. 1737. defendit *Erfordiæ* FRANC. ANT. LUDOVICI *de eo, quod juſtum eſt circa Jubilæum Liborianum. A. 1736.* XXIII. Jul. *celebratum Paderbornæ.* Nummisma memoriale argenteum ea occaſione cuſum exhibent cit. LUDOVICI in fronte ſuæ Diſſertationis, & KOELERUS l. c. p. 57. De Nummo unciali, quem ex ſurrepta tempore Belli Tricenn. Argentea Lipſanotheca S. Liborii A. 1622. cudi curavit celebris ille rerum ſacrarum expilator ac Eccleſiarum, Monaſteriorumque Devaſtator Chriſtianus Dux Brunswic. Adminiſtrator Halberſtad., in cujus parte antica prominet e nube extenſum bracchium armatum cum diſtricto gladio, ac lemmate circumſcripto: *Tout avec Dieu*; 1622. in poſtica vero 4. linearum inſcriptio: *Gottes Freund, der Pfaffen Feind.* Egerunt BRACKEL *in Hiſtoria ſui temporis* L. II. ad A. 1622. CARAFFA *in Germania ſacra* p. 140 STRUNCKIUS l. c. p. 61. LUDOVICI in cit. Diſſ. p 38 & cit. KOELERUS *in denen Müntzbeluſtigungen* de A. 1730. p. 196. & ad A. 1747. p 113. LILIENTHAL *in dem auserleſenen Thalercabinet* N. 436 p. 139. GUDENUS *in Uncialæs Selecto Wetzlar.* N. 297. p. 66. & MADAI *in dem vollſtändigen Thaler-Cabinet.* P I. N. 1128 p. 356. ſeq., ubi etiam de hujus nummi a Rudolpho Auguſto Duce Brunswic. facta reſtitutione egit. Nummum argenteum rudem (ſilberne Klippe) ſignatum Litteris V. S. L. K. hoc

fraternitas, cum enim durante bello tricennali, & in ipſo pacis Weſtph. Congreſſu Epiſcopatus Paderborn. ſummo eſſet expoſitus periculo, ne exemplo aliorum Epiſcopatuum, qui pace Weſtph extincti ſunt, Epiſcopali pedo ſubtraheretur, veniretque in manus Haſſiacas, (d) in tanta neceſſitate efflagitavit Capitulum Cath. Paderborn. Epiſcopi & Capituli Cathed. Cenomanenſis auxilia, ut vi antiquæ Fraternitatis A. 836. in Translatione S. Liborii inter utrumque Capitulum initæ vacillantem Paderanæ Eccleſiæ cauſam ſuſciperent, eidemque a Galliarum Rege contra Haſſorum Suecorumque molimina Patrocinium procurarent, effecit etiam Eccleſia Cenomanenſis penes Regem ſuum, ut tutelare Diploma Eccleſiæ Paderborn. conferret, daret.

---

hoc eſt *von S. Liborii Kopf*, memorat quoque KOELER l. c. P. VI. Præfat p. 38. add. *Hall. Anzeigen* de A. 1757. N. 1. p. 11. Aureum vero ejusdem Chriſtiani Ducis Brunswic. ex aurea 80. librarum ſtatua S. Liborii Paderborn. (referente *Koelero* c. l.) conflatum, ejusdem cum Vnciali typi, exhibet Theſaurus Nummismatum aureorum Cæſareo-Auſtriacus ſub Tit. *Monnoyes en Or du Cabinet Imperial*, au Supplement p. 48.

(d) In Congreſſu Pacis Weſtph. die 15. Apr. 1646. petiverant deputati Landgraviæ Haſſiæ pro ſatisfactione, cujus autem prætenſionis ullum ſubeſſe fundamentum, negabant legati Cæſarei, 1.) Præfecturas Moguntinas in Haſſia ſitas Fritzlariam, Naumburgum, Neoſtadium, & Amoenoburgum. 2.) Comitatum Arnsbergicum in Archiepiſcopatu Colon. ſitum. 3.) Epiſcopatum Paderborn. Conf. MEJERI *Acta Pacis Weſtph.* Tom. II. p. 979. Legati autem Regis Galliæ die 16. Maji e. a. ſe eatenus oppoſuere: 8vo: *wegen der Landgräfin zu Caſſel Satisfaction wider die Stiffter, wären ſie zwar der Meinung nicht, das derſelben die angefoderte Güther eingeraumt werden ſolten, es hätte auch die Landgräffin ihren Deputatis einen Verweis gegeben, das ſie mit dieſen petitis wegen Paderborn aufgezogen, die Satisfaction aber müſte in Geld geſchehen.* Conf. l. c. p. 43. inſtabant expoſt Haſſi pro parte ultramontana Epiſcopatus Paderborn. & variis ejus Civitatibus: *Acta pacis* l. c. p. 755. Tom. V. p. 645. verum ſine effectu. add. ADAMUS ADAMI *in Hiſtoria pacis W.* Cap. IX. p. 137. Cap. X. p. 150. Cap. XI. p. 166. Cap. XV. p. 249. Cap. 25. p. 354. Cap. 27. p. 386. KOELERUS *in denen Müntzbeluſt.* de A. 1747. p. 416. ſcribit: *es ware dem Hauſe Heſſen-Caſſel von der Cron Schweden verſichert worden, das demſelben alles verbleiben ſolte, was es würde können von der Landſchafft zwiſchen denen Flüſſen der Dimel und Nette wegnehmen, wan es ſich der Stadt Paderborn bemeiſtert hätte. Die Haut war aber verſchenckt, ehe man den Bären in der Gewalt hatte.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0072-4

daretque in mandatis Legatis ſuis in Congreſſu Pacis Weſtph. conſtitutis, ut a Sæcularisſatione Epiſcopatus Paderborn. in favorem Landgraviæ Haſſiæ abſtinerent, & hac ratione hunc Epiſcopatum in priſtino ſtatu ſuo Epiſcopo conſervarent. Gratiarum actorias litteras Capituli Cath. Paderborn. ad Cenomanenſe ob præſtitum hoc Fraternitatis beneficium die 25. Mart. A. 1648. Datas exhibet Strunck *in Epitome Hiſtor. de Vita, Reliquiis & Beneficiis S. Liborii Epiſcopi Paderanæ Urbis ac Diœceſis Patroni tutelaris* p. 114. ſeq. & J. Dav. Koeler *in denen Müntzbeluſt* de A. 1747. p. 414. Scribit: *auch in denen trübſeeligen Zeiten des 30. jährigen Kriegs hatte das Stifft Paderborn dieſer Freundſchafft und Verbrüderung zu genieſen, denn das Dom Capitul zu Mans legte kräfftige Vorbitten bey dem König in Franckreich ein, um denſelben in ſeinen beträngten Umſtänden Beyſtand zu leiſten.*

Nulla autem Eccleſia German. quoad Confraternitates fertilior fuit Eccleſia Cath. Hildeſienſi. In Leibnitii Tom. I. *Script. rerum Brunswic.* N. XLVIII. p. 767. ex codice vetuſto prædictæ Eccleſiæ hæc leguntur: *Nomina Eccleſiarum, quæ nobis Fratres & Sorores in Chriſto noſtras Orationes in cotidianis Sacrificiis a nobis exſpectant, & ſuas debent nobis vivis & defunctis, ſicut a majoribus noſtris accepimus. Remenſis Eccleſia, quæ mater fuit Hildeneshemenſis Eccleſiæ in Canonica inſtitutione. Pariſienſis in Francia, S. Gereonis in Colonia, Babenbergenſis, Monaſterienſis, Paterbrunnenſis, Halverſtadenſis, Vuldenſis, Heresfeldenſis, Corbejenſis, Helemwardeshuſenſis, Heresa, Gandersheinmenſis, Goslarienſis, Ringelhemenſis, Bruneswicenſis, Pragenſis, Montecaſſino, Turonis, Quidilingburgenſis, Magetheburgenſis, Oſenbruegenſis, Altahenſis, Tegrinſeenſes, qui Miſſale cum Evangeliis & Lectionario in ſignum Fraternitatis huc dederunt. Hi omnes nomina & obitus defunctorum ſuorum per literas & nuntios nobis annunciare debent, & nos illis noſtrorum Fratrum, ut fiant communes Orationes per XXX- dies & in Anniverſariis, in Miſſis, & in cœteris commemorationibus mortuorum, & in autumno per tres dies recordationis Fratrum nomina prædictarum Eccleſiarum in Conventu publico recitari debent, & in publicis Miſſis tam pro Vivis, quam pro Defunctis memoria Fratrum noſtrorum & Sororum per hos tres dies cum oblationibus celebrari debet, & Elemoſinis.* Verum, quod Codex hic, ex quo prædicta Leibnitzius excerpſit, ante Sæc. XIII. conſignatus fuerit, patet ex Confraternitatibus Eccleſiæ Cath. Hildes. Sæc. XIII. initis, quarum nulla in prædicto codice facta fuit mentio: ſic quod A. 1221. cum Eccleſia Cath. Spir. Confraternitas inita ſit, jam memoratum eſt ſupra, aliæ adhuc

inſtitutæ ſunt cum Eccleſiis Collegiatis Goslarienſi & Fritzlarienſi, cum Monaſteriis Kalebern., S. Crucis prope Brunswicum, Wisbec. B. M. V. & S. Jacobi prope Halberſtadium, quarum plurimæ A. 1290. initæ ſunt, quædam poſtea renovatæ, verum exſpirarunt excepta Leodienſi, vi cujus prævia notificatione mortis defuncti Canonici exequiæ adhuc celebrantur, de cætero etiam Canonicus in altera Eccleſia unita reſpective Præſentias Chori lucrari, & reſidentiam implere poſſet, licet neutrum in uſu ſit: Eccleſiæ autem Spirenſi in memoriam priſtinæ Confraternitatis ſaltem ſingulis annis transmittitur Calendarium Capituli.

Quod concernit Eccleſiam Cathed. Halberſtadienſem hodie Sæculariſatam, habuit hæc ſecundum paulo ante dicta Confraternitatem cum Eccleſia Cath. Hildes., de Confraternitate, quæ quondam floruit inter Eccleſias Halberſtad. & Metenſem ſcribit Sigebertus Levita S. Vincentii *in vita Theoderici I. Metenſis Epiſcopi* Cap. IX. in Leibnizii *Tom. I. Script. rerum Brunswic.* p 258. Theodericus *inter cætera Clerum Mettenſem & Halberſtadienſem, qui utrique uno innituntur Patrono, Victorioſo ſcilicet proto-Martyre, Stephano, ita mutuæ charitatis univit glutino, ut Cor unum, & Animam unam eis infunderet in Domino, id eſt, ut in corporalibus perpetua eis eſſet dilectionis communio, & in ſpiritualibus indiviſa eſſet Caritatis connexio: quod ſua initiatum diligentia, Succeſſoris & Nepotis ſui bonæ memoriæ Adalberonis ſupplevit induſtria. . . . Hæc ipſa Fraternitatis unanimitas usque in præſens inconvulſa utrimque firmiſſime ſervatur.* Quod Eccleſia Fuldenſis olim variis Eccleſiis Fraternitate fuerit juncta velut Metropolitanæ Mog., Hildeshemenſi, & Collegiatæ S. Petri & Alexandri Aſchaffenburg., ex deductis patet, litteras renovatæ Confraternitatis Eccleſiæ Fuldenſis cum Ellwangenſi A. 1193. exhibet Schanat *in Cod. Probat. Hiſtor. Fuld.* N. 81., & N. 84. ſiſtit *Decretum Generalis Capituli Cluniacenſis* de A. 1197. quo inter Fuldenſem ac Cluniacenſem Eccleſias ad petitionem Henrici III. Abb. Fuld. perpetua ac mutua ſocietas Suffragiorum ſtabilita eſt; Confraternitatem denique ejusdem Eccleſiæ Fuld. cum Ordine Ciſterc. de A. 1335. exhibet idem l. c. N. 157.

# §. VII.

## DE CONFRATERNITATIBUS SUFFRAGANEATUUM ECCLESIÆ METROP. COLON.

De Eccleſia Metropol. Colon. nulla nobis innoteſcit Confraternitas, quod autem concernit ejus Suffraganeatus, ſic ſecundum dicta Cathedr. Monaſterienſem inter & Hildeshemenſem quondam ſteterat Confraternitas. Similes iniverat Monaſterienſis cum Eccleſiis Cath. Osnabrugenſi & Mindenſi, prout ex infra deducendis adhuc magis patebit. De mutua Confraternitate Cath. Osnabrugenſis & Monaſterii Iburgenſis contracta occaſione ſepulturæ Bennonis Epiſcopi Osnabrug. mentionem facit NORBERTUS coævus Scriptor *in Vita Bennonis Epiſcopi Osnabrug.* C. 41. in ECCARDI *Corpore Hiſtor. med. ævi.* Tom. II. p. 1293. ſcribens: *poſt hæc autem ſtabilitati loci* (ſcilicet Monaſterii Iburgenſis) *atque utilitati Abbas* (Iburg.) *conſulere volens totius multitudinem Cleri convocavit ſeorſim Fraternitatis cum eis & ſpiritualia ſocietatis fœdera concelebrans, ut jam Osnabrugenſis Eccleſia huic* (Iburgenſi) *non tam poteſtate, quam charitate eſſet Mater & Domina, acſi utriusque Filii per omne deinceps temporis ſpatium unanimiter conſilio, adjutorio, benevolentia, Orationis communione ſibi ſemper invicem ſociarentur in pace.* Quod A. 1266. inter Robertum Epiſcopum Virdunenſem & Eccleſiam Cathed. Leodienſem inita fuerit Confraternitas, patet ex Diplomate, quod exhibet BARTHOL. FISEN *in Hiſt. Eccl. Leod.* P. II. p. 23. ubi ait Robertus: *& ut major ſit dilectio inter Nos, Decanum & Capitulum noſtrum Virdunenſe & ipſos* (ſc. Leodienſes) *volumus, concedimus & etiam conſentimus, quod ſit Fraternitas Spirit. inter nos & ipſos inpoſterum, quamdiu voluerint, & non ultra. Volunt inſuper & concedunt & unanimiter conſenſerunt, quod nos & alii Epiſcopi, qui pro tempore erunt in Eccleſia Virdun. recipiamus diſtributiones quotidianas, ſive intremus Eccleſias eorum, ſive non, quamdiu fuerimus in civitate Leod., ſicut unus ex ipſis reſidens in Eccleſia ſua prædicta.*

De Fraternitate inter Canonicos Turonenſes S. Martini & Eccleſiam Colleg. S. Martini Leodienſem ſcribit cit. BARTH. FISEN l. c. P. I. L. 6. p. 141. Eraclius Epiſcopus Leod. A. 963. a S. Martino ſanatus fuit a malo lupi, & in gratiarum actionem fundavit Legii S. Martino Baſilicam cum 30. Canonicorum Collegio, deinde pergit: *manſit nihilominus in Turonenſe templum religio & quot*

 *annis*

*annis inviſere ſolemne habuit*, (Eraclius) *octavo igitur poſt ſanitatem recuperatam anno, cum Turonibus eſſet, & noctem duceret precibus inſomnem, rurſum Martinus adſuit comitantibus Bricero & Euſtachio, mandavitque, ut Canonici Leodienſes Martiniani cum Turonibus ſocietate perpetua jungerentur his pactionibus: cum ex altero Collegio venerint ad alterum viſendi gratia inter cæteros Canonicos in Conventu pub. ad ſeſſum recipiuntor, quotidianumque percipiento ſtipendium, eorum, qui vita functi fuerint, invicem nomina mittuntor, quo juventur Sodalium ſuffragiis, factum eſt utriusque Collegii approbatione* &c. Conf. de hisce MARTENE *Collect. ampliſſ.* Tom. I. p. 1035. ſeq. Eccleſiam Cathedr. Mindenſem hodie pariter ſæculariſatam cum Hildeshemenſi fuiſſe quoque in Confraternitate conſtitutam, ex ſupra adducto Elencho Confraternitatum Eccleſiæ Cath. Hildes. eſt manifeſtum, Confraternitatis inſtrumentum inter Eccleſiam Cath. Mindenſem & Compoſtellanam in Hiſpania, *ubi glorioſum Corpus beatiſſimi Jacobi Apoſtoli humatum eſſe dinoſcitur*, extat in Clariſſ. WÜRDWEINII *Subſidiis Diplomat. ad ſelecta Juris Eccles. Germaniæ & Hiſtoriarum Capita elucidanda.* Tom. X. N. III. p. 9. vi illius peragendæ erant reciproce pro Fratribus defunctis exequiæ. Ibidem N. IX. p. 16. extat Confraternitas inter Eccleſiam Mindenſem & Swerinenſem inita, vi cujus illæ ad debitum Fraternitatis hujusmodi communiter in aliis Eccleſiis conſuetum mutuo tam in vita, quam in morte tenebantur. Vi Confraternitatis inter Eccleſiam Cath. Mindenſem & Fuldenſem l. c. N. XI. p. 19. ſeq. pro defuncto Fratre triginta Miſſæ ab omnibus communiter & a quolibet Sacerdote privatim tres, & ab inferioris Ordinis Fratre tria pſalteria decantanda erant. Vi Confraternitatis l. c. N. XII. p. 21. Monaſterienſis & Mindenſis Eccleſiæ, *quod ſint unius Juris videlicet Colonienſis Metropolis, & Spirituales in Domino Sorores*, ſe reciproce obligarunt, *ut cum Fratres ſeu Canonicos Eccleſie unius ad alteram tranſire contigerit, prebendam ſuam recipiant, & omni benevolentia honorentur ſecundum conſuetudinem aliis Confratribus hactenus obſervatam. Item poſtquam obitus Fratrum unius Capituli in altero fuerit nunciatus, fieret, quod pro aliis Fratribus defunctis communiter fieri conſueverit.*

Quod etiam Eccleſia quondam Cathed. Ultrajectina S. Martino dicata, quæ ſubfuit Metropoli Colon. antequam in Archiepiscopalem erigeretur, Confraternitate unita fuerit Eccleſiæ Colleg. S. Bonifacii ibidem exiſtenti, discimus ex diplomate Conradi III. Germaniæ Regis, quod extat *in Hiſtoria de rebus Eccleſiæ Ultrajectinæ a tempore mutatæ religionis* in appendice Monument. p. 75. ubi ait Conradus; „ *Jus eligendi & inſtituendi Episcopum in ipſa Eccleſia, quod ad*

Reges

*Reges. Rom. & Imperatores pertinere dignoſcitur, & ab anteceſſoribus noſtris Regibus & Imperatoribus, usque ad noſtra tempora eſt devolutum & deductum antedictis Præpoſito, Decano & Capitulo Eccleſiæ S. Bonifacii ejusdem loci, eidem majori Eccleſiæ ab earum fundatione ſpeciali Fraternitate, ut Nobis innotuit, conjunctis in donationem perpetuam regali munificentia concedimus in donum.,,*

## §. VIII.

## *DE CONFRATERNITATIBUS ECCLESIAE METROPOL. SALISBURG. ET EJUS SUFFRAGANEATUUM.*

Eccleſia Metropol. Salisburg. Confraternitate adhuc hodie juncta eſt, præcipuis Bavariæ Monaſteriis Ord. S. Benedicti veluti S. Petri Salisburg. Nonnberg. Hœgewœrth., Baumburg., Ranshoffen., Neuburg. S. Floriani, Augienſi, Rohr., Reichersperg, Weyarn., S. Cenn. & Waldhauſenſi: effectus autem ſacrarum harum Confœderationum ſaltem eſt ille, quod reciproce pro quovis ex Confraternitate defuncto miſſæ celebratio ſit procuranda.

Fuerat autem & quondam Confraternitas Eccleſiam Metrop. Salisburg. inter & Monaſterium Imp. immediatum Ord. Ciſterc. in Salem (vulgo Salmansweiler) prout patet ex ſequentibus diplomatibus hactenus ineditis: „ *Reverendis in Chro Dnis & amicis, Chunoni Dei graa Salzburgenſis Eccleſie Prepoſito, Hainrico Decano, & univerſo ejusdem Capituli Collegio Frater Eberhardus de Salem dictus Abbas cum omni ſuo Conventu orationes, & ſyncere karitatis affectum. Petit a nobis dilectio veſtra quatinus ſalinandi, ſive coquendi ſocietatem in noſtra patella, quam ex donatione & gratia Saltzburgenſis Eccleſie maxime autem ex auctoritate, & privilegio Venerabilis Eberhardi Archiepiscopi, in Salina, quæ Hallein dicitur, jam pridem poſſedimus, vobis concedamus; ita, ut ejusdem lebetis una nobis, reliqua vero vobis cedat medietas, & in opere Salinandi commune ſit utrique & damnum, & emolumentum. Quia vero ſuper hac coquendi ſocietate Domini Archiepiscopi aſſenſum jam obtinuiſtis, ſi noſter*

*acceſſerit; nos antiquæ Karitatis, que inter veſtrum, & noſtrum hactenus viguit Capitulum, familiaritatem attendentes, peticioni veſtre facilem & letum prebemus aſſenſum, concedentes vobis, ut in reliqua lebetis noſtri medietate, que nobis vacat, coquatis, imo univerſa, que in eadem Salina jam habemus, vel in poſterum habituri ſumus, tam in ſecandis nemoribus, fodinis, patellis, ſive curtilibus, vobis volumus eſſe communia, eandem a vobis fidem, & ſocietatem exſpectantes, hoc eſt, ut nihil in eadem Salina a nobis ſequeſtratum habeatis, nec habituri ſitis. Inſuper promittimus, quod portioni, que nos contingit, unum de converſis noſtris in animam ſuam preficiemus, qui fideliter & integraliter partem veſtram vobis aſſignet. Quo mortuo, ſeu diſplicente vobis, vel nobis, alium loco ſuo ſubſtituemus cui per virtutem obedientie precipiemus, ut in omnibus, que ad Salinandi pertinent officium, vobis, ſicut nobis obediat. Inſuper, ut firmius inter vos & nos karitatis vinculum perſeveret, defunctorum noſtrorum ſuffragia veſtris defunctis perſolvemus, id eſt, tres Miſſas quilibet Sacerdos, & Miniſtri Pſalterium unum. Quoad Corporale vero ſubſidium, ſiquem de veſtris ad nos divertere contigerit, veſtra acturum negotia, prebende noſtre beneficium, ſicut unus ex nobis, ſi non amplius, pleniſſime recipiet. Datum apud Salem Anno verbi Incarnati* MCCXXXVII. ad hæc reſpondit Capitulum Metropol. Salisburg. ſequenti diplomate:

✠ *Chuno DEI gratia Prepoſitus, Heinricus Decanus cum Univerſitate Capituli Salzburgenſis. Dilectis in Chro Fratribus Eberhardo venerabili Abbati & Conventui in Salem fraterne dilectionis affectum. Grande karitatis ſignum & emolumenti, quod nobis impendiſtis, obſequium, nulla unquam aput nos oblivione delebitur, nec deleri aput Poſteros noſtros debebit. Videlicet quod in Patella veſtra, quam ex Privilegio aput Salinam habetis jus coquendi vobiscum in eadem Patella, id eſt in reliqua medietate ſicut Dnus Archiepiſcopus nobis indulſit, conceſſiſtis, & medietatem proventus percipiendi, conſenſu Domini noſtri Archiepiſcopi accedente, quod utique, ſi voluiſſetis, negaſſe poteratis. Et nos vice verſa permittimus, quod quicquid umquam circa eandem Salinam, que Hallin dicitur, adipisci poterimus, ſcilicet in pluralitate Patellarum ſive in Lignis ſecandis, ſive in fodina Montis, totum vobis erit commune nobiscum. Et ne ab hac Pacis forma a ſucceſſoribus noſtris in poſterum recedatur, ſtatuimus, quod Prepoſitus Eccleſie noſtre quicunque fuerit electus pro tempore, Beneficium confirmationis non recipiat, quin prius juret, quod bona fide quamdiu loco prefuerit, pro conſervanda & karitate inter nos & vos & pro indempnitate*

Do-

*Domus veſtre efficaciter laborabit. Idem Juramentum volumus a Canonicis recipiendis priusquam profiteantur preſtari. Inſuper bona fide ſpondemus, quod quicquid umquam vobis adverſitatis in eadem Salina occurrerit vel nocumenti, quod abſit, quaſi nobis factum reputabimus, & totis viribus pro poſſe noſtro nos opponemus. Ut autem poſteri noſtri mutue karitatis, que in preſentiarum inter nos eſt, probabile ſignum inveniant, a quo & recedere erubeſcant, ratum inter nos & vos eſſe volumus atque ſtatutum, ut decedentibus Fratribus noſtris & veſtris mutua fiant obſequia mortuorum. Item quicunque de Fratribus veſtris pro negotiis Domus veſtre ad nos diverterint, ſolatium prebende noſtre inter nos recipiant, ſicut unus ex noſtris, vos quoque idem karitatis beneficium, ſi ad vos devenerint, noſtris impendetis. Quod quoque ex condicto inter nos & vos ſervabitur, quod portioni, que nos contingit in Salina, unus converſorum de Salem perpetuo preerit, cui negotium noſtrum in animam ſuam & in remiſſionem peccatorum ſuorum Abbas de Salem committet. Idem vero converſus Prelato noſtro ex precepto Abbatis de Salem in hoc ſalinandi opere omnimodam obedientiam exhibebit, qui ſi forte proceſſu temporis nobis diſplicuerit, alius eiusdem Monaſterii converſus eidem ſubſtituetur, qui portionem noſtram in Judicium anime ſue nobis aſſignabit. Et quia de Conſilio & auctoritate Dni noſtri Archiepiſcopi hec omnia ſunt conſummata, procuravimus, ut ſuum Sigillum cum noſtro huic pagine appendatur. Datum apud Salzburch Anno Dominice Incarnationis* MCCXXXVII. XVII. *Kal. Novembris.*

✠ Ego Chuno Prepoſitus SS.
Ego Hermannus Pbr. & Can. SS.
Ego Dumarus Pbr. & Can. SS.
Ego Ulricus Pbr. & Can. SS.
Ego Chunradus Pbr. & Can. SS.
Ego Chunradus Pbr. & Can.
Ego Hainricus Pbr. & Can.
Ego Hainricus Pbr. & Can. SS.
Ego Otto Dyaconus & Can.
Ego Hainricus Subdiac. & Can.
Ego Algotus Subdiac. & Can.
Ego Erneſtus Subdiaconus & Can.

(L. S.)

Ego Hainricus Decanus SS.
Ego Volchmarus Can. SS.
Ego Hoholdus Can. SS.
Ego Chunradus Pbr. SS. Can. Salzb.
Ego Hainricus Pbr. & Can. SS.
Ego Hainricus Pbr. & Can.
Ego Fridericus Pbr. & Can.
Ego Arbo Pbr. & Can.
Ego Hermannus Pbr. & Can.
Ego Hainricus Diacon. & Can. SS.
Ego Gotfridus Subdiaconus & Can.
Ego Haidenricus Acolitus & Can.

(L. S.)

&

Hæc ſua authoritate confirmavit Eberhardus Archiep. Salisburg. ſequentibus: *Eberhardus Dei Gratia Salzburgenſis Archiepiſcopus, A. S. L. univerſis Chriſti fidelibus in perpetuum. Noverit Karitas veſtra, quod cum nos jam pridem ob favorem Religionis Domus de Salem pro remedio anime noſtre, ac pro ſalute totius Eccleſie noſtre, Fratribus ejusdem loci jus Salinandi in noſtra Salina, que Hellinum vulgo dicitur, dediſſemus, & eandem donationem de conſenſu Capituli noſtri, & Miniſterialium noſtrorum, tam noſtro, quam Eccleſie noſtre privilegio omnimodis roboraſſemus, eodemque jure multis annis uſi fuiſſent F atres memorati, &, ut vulgariter loquimur, in dimidio lebete in Salina coxiſſent: Canonici Salzburgenſis Eccleſie poſtulabant a Fratribus de Salem, quibus longa karitate devincti fuerunt, quatinus, ſi noſter conſenſus accederet, jus coquendi cum ipſis in ſuo lebete, id eſt, in reliqua lebetis medietate ipſis concederent, ita, ut in eodem Salinandi opere communis utrisque & utilitas eſſet, & expenſa. Cui petitioni tum pro mutue karitatis affectu, tum pro reverentia Salzburgenſis Capituli Fratres de Salem benivolum prebuerunt aſſenſum. Nos quoque mutue illi dilectioni congratulantes, noſtre conniventie favorem adhibuimus, & utrique parti, videlicet noſtris Canonicis, & de Salem Fratribus, jus communiter & continue coquendi in eadem patella integra perpetuo confirmavimus. Illud quoque Juris eis concedentes, ut ſucciſis nemoribus patelle ipſorum deputatis, ſive deputandis, nulli liceat fundum eorumdem nemornm excolere, vel paſture animalium uſurpare; ut ligna in eisdem poſſint recreſcere. Nemini autem hanc paginam lecturo, ſive audituro incongruum videatur, quod ſepedictis Fratribus de Salem iſtud jus Salinandi cum conſenſu Canonicorum ac Miniſterialium Eccleſie noſtre contulimus anno Verbi Incarnati MCCII., Monaſterium enim de Salem cum ſuo fundo de conſenſu & auctoritate Generalis Capituli Ciſtercienſis traditum eſt Eccleſie Salzburgenſi, & mortuo jam pridem ejusdem Monaſterii Fundatore, ſuisque Succeſſoribus in Patronam, ac Fundat icem auctoritate Ordinis Ciſtercienſis Salzburgenſis conſtituta eſt Eccleſia. Datum apud Salzburg. Anno Dominice Incarnationis MCCXXXVII. decimo ſeptimo Kalend. Novemb.* (a) Ex hac Confraternitate etiam veriſimiliter evenit, quod Archiepiscopus Salisburg. ſe

---

(a) Communicavit nobis hæc Documenta Rev. & Excell. Dominus ANSELMUS Imperialis & exemti Monaſterii Salemenſis Ord. Ciſterc. digniſſ. Abbas, S. C. M. Conſiliarius Intimus, cui hoc loco debitas catenus grates rependimus.

ſe conferens ad Concilium Gen. Conſtantienſe diverterit in fundum Monaſterii Salmenswilerani, prout ſcripſit Author *Chronici Concilii Conſtant.* p. VI. *Es zoch auch ein der Hochwürdig Eberhart Erzbiſchoff zu Salzburg mit hundert und ſybentzig Pferden und ſo vil Perſonen, und kament mit im die Graffen, die hienach benennt ſind, die ſein Diener warent, und viel edler Herren, Ritter und Knecht, und lies die Pferd, und die Knecht, die darzu gehörttend zu Salmensweyler, und kam er mit andern ſeinen Diener zu Schiff und zoch von der Salmensweyler Hoff &c.* Inter ſuffraganeatus Salisburg. Eccleſia Cathedr. Friſing., prout ex ſuperioribus jam patet, Confraternitate gaudet cum Eccleſiis Cathed. Auguſtana & Eychſtad., vi cujus pro fatribus Defunctis ſacra funebria ſunt peragenda, vivis autem Fratribus in Choro certæ ſedes ſunt aſſignatæ. Confraternitates Eccleſiæ Cath. Brixinenſis cum aliis Bavariæ Eccleſiis conſtitutæ fuerunt A. 772. & 938. prout videre eſt ex Cel. Reschii *Annalibus Eccleſiæ Sabion. nunc Brixin.* ad dictos annos, verum ab hominum memoria continuatæ haud ſunt, ſed penitus extinctæ.

## §. IX.

## *DE CONFRATERNITATIBUS ECCLESIAE QUONDAM METROP. MAGDEBURG. ET EJUS SUFFRAGANEATUUM.*

De Confraternitate inter Eccleſiam quondam Metropol. Magdeburg. & Cath. Hildeshemenſem, mentio jam ſupra eſt facta, & hoc ſenſu S. Norbertus Archiepisc. Magdeb. ab Hildeshemenſibus dictus eſt *Frater noſter*: Dum igitur ſcripſit Lentzen *in der diplomatiſchen Stiffts- und Landes-Hiſtorie von Magdeburg.* p. 110. de S. Norberto „*Er mag im Hildesheimiſchen Canonicus geweſen ſeyn, weil Ihn ein Necrologium Hildesh. Frater noſter nennet.* Vid. Leibnitz Tom. I. *ſcript. rer. Brunswic.* p. 765. *oder er müſte nur mit den Hildesheimiſchen nach damahligen Zeiten in eine Bruderſchafft getretten ſeyn.*„ Ultimum autem aſſertum eſt veritati conſentaneum. Præterea in Dreyhhauptii *Beſchreibung des Saalcreyſes des Herzogthum Magdeburg* Tom. I. p. 38. § 2. legitur: „A. 1237. *den 30. May nahm Willbrandus Archiepiscopus Magdeburg. das Cloſter S.*

*Mauritii zu Niederaltaich in Bayern in die Bruderſchafft des Ertzſtiffts auf, und ſchenckte demſelben einige Reliquien von dem Heil. Mauritio und ſeiner Geſellſchafft, das hierüber gegebene Diploma lautet in einem Chartulario membraneo alſo : cum ergo teneamur intendere debite petitori, ut patronorum Eccleſiæ noſtræ de Sacra videlicet legione Thebeorum Beati Mauritii & Sociorum ejus* (a) *veneratio dilatetur in populo Chriſtiano, ad hoc precibus non debemus difficiles inveniri, quod tenemur efficere per nos ipſos, unde cum Venerabiles viri Abbas, & Conventus de A tha Ord. S. Benedicti Patav. Diœces., qui eosdem profitentur habere patronos ſuos, ad nos cum devotis petitionibus nuncios deſtinarint, nobis & Fratribus noſtris humiliter ſupplicantes, ut aliquam eis in reliquiis eorundem Patronorum noſtrorum de abundantia noſtra gratiam impendere dignaremur, de B. Mauritii & aliarum reliquiarum dedimus 4. eis partes,* (b) *recipientes eos cum plena dilectione in Fraternitatem & Orationum noſtra-*

---

(a) Acta Paſſionis SS. Mauritii & Sociorum ſeu Legionis Thebeæ edidit RUINART in *Actis ſinceris Martyrum* p. 241. Cum autem varii pſeudo-critici cum Dodwello impugnarint Martyrium Legionis Thebeæ præſertim JOAN. DUBOURDIEU in ſcripto, cui Tit. *Diſſertation Hiſtorique & Critique ſur le Martyre de la Legion Thebeéne* Amſtel. 1705, refutavit illos Abbas Maurinus DELL'JSLE in ſcripto A. 1737. edito ſub Tit. *Defence du Martyre de la Legion Thebeéne.* Add. Acta SS. Antwerp. Tom. VI. Menſis Sept. p. 304. ſeq. erudite de hoc argumento quoque egit PEVERELLI in eleganti opere ſub Tit. *Iſtoria delle perſecuzioni fatte alla chieſa degl'infideli.* vol. II. L. XI. p. 192. n° 5. ſeq., qui ait ſe uſum eſſe Diſſertatione Mſcta FRANCISCI ZACCARIA *ſopra il Martirio di tré ſanti Martiri Tebei Solutore, Arventore, e Ottavio venerati in Torino.* Spectat etiam huc P. GRAZIOLI Barnabitæ opus *de præclaris Mediolani ædificiis, quæ cladem anteceſſerunt*, append. II ubi occurrunt *Annotationes ad Acta S. Alexandri Martyr. e Thebana Legione* 2.) Ejusdem Authoris *Alexius è Thebana Legione illuſtratus.* Multitudo Eccleſiarum a Sæculi V. temporibus S. Mauritio & ejus ſociis ædificatarum, inter quas etiam eſt Moguntina antiquiſſima, confirmat quoque Martyrium eorum fictitium haud eſſe.

(b) Reliquias Corporis S. Mauritii alias Magdeburgi, expoſt Halæ Magdeburg. aſſervatas cum multis aliis ſacris lipſanis magna induſtria & impenſis conquiſitis prævalente in terris Magdeburg. Lutheraniſmo, ne rapacium manibus, prout alibi contigerat, præ-

*noſtrarum participationem, quemadmodum & ipſi nuntii devote & humiliter poſtularunt. Datum Magdeburgæ III. Kalend. Junii Indict. una, Pontificatus noſtri Anno primo*, & l. c. p. 721. N. 164. extat quoque Diploma Rodegeri Archiepiſcopi Magdeburg. de A. 1221., quo confirmavit Monaſterium novi Operis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, ubi dicitur, quod ejus prædeceſſor Adelgotus Archiep. exſtruxerit Baſilicam Hallenſem, „*in qua etiam Canonicos communem vitam ducentes exemplo Apoſtolorum aliorumque fidelium, quibus in exordio naſcentis Eccleſiæ cor unum & anima una fuit, collocavit, quos etiam in noſtræ Congregationis Fraternitatem ſusceptos noſtra diligentia ibi firmiter ſtabilivit.* Inter ſuffraganeatus quondam Magdeburg. Eccleſiæ Cathedr. Merſeburgenſis & Mindenſis poſtea exempta cum Hildeshemenſi pariter fuere in Confraternitate conſtitutæ; & in PHIL. WILLH. GERCKEN *Stiffts-Hiſtorie von Brandenburg Cod. Dipl.* N. LXXVI. p. 499. extat Diploma de A. 1295., vi cujus Arnoldus Abbas Monaſterii S. Joannis extra muros Magdeburg. Capitulo Eccleſiæ Cath. Brandeburg. Fraternitatem & participationem Orationum obtulit.

I 2 §. X.

prædæ fierent, A. 1543. ſecum duxit Moguntiam Archiepiſcopus Magdeburg. pariter ac Moguntinus Albertus Brandenburg. Cardinalis, ibique in Eccleſia Metrop. Mog. perpetuo cultui dicavit, condito etiam eatenus ſolenni teſtamento, inſtitutoque reliquiarum feſto, quod ſingulis annis adhuc dominica ultima Auguſti celebratur. Idem Archiepiſcopus & Elector A. 1523. edi juſſit Halæ Magdeb. *Verzeichnus und Zeigung des hochlobwürdigen Heiligthums der Stifftskirchen der HH. Moritz und Maria Magdal. in Halle*, quod opusculum iterum edidit DREYHAUPT Tom. I. *des Saalcreyſes* p. 853. ſeq. ſimilis liber pictus extat in Theſauro Eccleſiæ Metrop. Mog., ubi reliquiæ S. Mauritii quoque referuntur: quænam autem contra Albertum Brandenburg. circa conquiſitionem reliquiarum ſcripſerit PAULUS LANGIUS Monachus Bozavienſis aliis ex cauſis Alberto infeſtus *in Chronico Citizenſi*, legi poſſunt in PISTORII *Script. rer. Germ.* Tom. I. n. 901., ridiculæ autem ſunt prætenſiones, quas eatenus fingere voluit LUDEWIGIUS *in denen gelehrten Anzeigen.* Tom. I. p. 460. *Von denen Halliſchen Heiligthümer, welche der Erzbiſchoff Albertus 1543. nach Mayntz gebracht, und von Hall entwedet.*

## §. X.

# DE CONFRATERNITATIBUS ECCLESIAE QUONDAM METROPOL. HAMBURG.

De Confraternitate, quam meditatus fuerat Adalbertus I. Archiep. Hamburg. A. 1065. cum Monaſterio Corbejenſi, conſtat ex ejus Epiſtola ad Fulconem Abbatem Corbej. data, quam edidit BALUZIUS *in Append. Actorum vet. ad Capitularia Regum Franc.* C. 151. Tom. II. p. 1554. edit. Paris. de A. 1677. quam & inſeruit STAPHORST *Hiſtor. Eccl. Hamburg.* P. I. p. 432. ubi ait: *ſed & locorum noſtrorum vetus nos concordia indiſſolubili modo alteriuſecus alligat, quia Ssmus Patronus noſter Ansgarius vobiscum converſatus divina disponente clementia noſtræ Sedis primus eſt inthronizatus Archiepiscopus. . . . Igitur tantum Patrem inter nos medium ponimus, & fœdus perpetualiter obſervandum tecum inimus, rogantes, ut noſtri noſtrorumque Fraternitas & memoria veſtro in loco habeatur, & veſtra ſimiliter memoria apud nos idem ſortiatur; quod quidem facientes nobis noſtrisque temporibus celeberrimum quid attribuimus, quæ tanto fidei & concordiæ bono inſignia reddimus: nuncium tuum in proxima æſtate Nobis dirigito, per quem & chartam omnia hæc, ſcilicet alternam memoriam, & Fraternitatis titulum continentem deſtinare memento, per ipſum autem Reliquias Tibi ejusdem S. Patris noſtri Ansgarii & translationem mittemus.* Quod autem tantum callide hanc Confraternitatem meditatus fuerit Adalbertus I., ut ſibi eo facilius hanc ſubjiceret Abbatiam, notavit STAPHORST l. c. p. 431. ſeq. Vi ſtatutorum Eccleſiæ Hamburg. l. c. P. I. p. 607. Eccleſiæ Hamburg. & Brem. *ſint conſorores & ſervent eam Confraternitatis viciſſitudinem, quam Bremenſis Eccleſia ſervat cum Hildeshemenſi.* Verum in ſenſu ſtrictiore etiam erant Confratres Canonici Hamburg. & Bremenſes, quia ob unionem ſuarum Eccleſiarum in Electione Archiepiscopi unum quaſi conſtituere Capitulum, nam l. c. porro habetur: *præterea tres Canonici Hamburg. ſcilicet Præpoſitus, Decanus, & Scholaſticus vacante ſede Bremenſi competenti tempore vocati ad Bremenſem Eccleſiam habeant jus eligendi Bremenſem Archiepiscopum nomine Hamburgenſis Eccleſiæ, ſicut Bremenſes Canonici pleno jure, nec plures, quam dicti tres habeant jus eligendi: ſi autem hi vocati non venerint, careant ea vice jure eligendi: Præpoſitus Hamburg. poſt Præpoſitum Brem., Decanus Hamburg. poſt Decanum Brem., Scholaſti-*

*laſticus Hamburg. ultimo loco poſt Canonicos Bremenſes eliget.*„ Ibidem p. 611. mentio fit de Fraternitate Hamburgenſis cum Lubecenſi Eccleſia. In *Statutis* autem *Eccleſiæ Cath. Lubec.* apud Westphalen Tom. II. *Monum. inedit. rer. Germ. præcipue Cimbr.* p. 2445. n. 33. ſequentia leguntur: *Fraternitas perpetua inita eſt inter Canonicos Lubic. Eccleſiæ, & Hamburgenſis, quæ in eis conſiſtit, quod in cauſis Capituli, vel etiam perſonarum de Capitulo ſibi mutuo Conſilium miniſtrabunt & favorem verbo & opere ſe invicem caritative proſequendo, in ſignum Fraternitatis hujus duo ſunt ſtatuta, videlicet, ut decedente Canonico Lubecenſi memoria ejus in Eccleſia Hamburg. ſolenniter peragatur, & e converſo. Item veniente Canonico Lubic., qui percipiens eſt, ad Eccleſiam Hamburg. debent ei, ſi viſus fuerit, quinque ſolidi ex burſa exhiberi, & e converſo, qui autem noſtræ aut illius Eccleſiæ pluries infra annum huc aut illuc tranſierit, ſemel tamen in anno conſolationem percipiet antedictam, ſi etiam tempore refectoriorum venerit, ad refectorium debet invitari, & ipſi invitati ſe in ſuppellitiis vel alia ſpecie religionis conformiter præſentabunt.*

Inter Eccleſias Germaniæ exemtas *Bambergenſis* partim ſecundum ſupra memorata in Confraternitate fuit quondam conſtituta cum Cathedrali Hildeshemenſi, & adhuc eſt cum Würceburgenſi, partim autem cum illa Confraternitatem habuit Eccleſia Cathedr. Baſileenſis, quia hæc eundem habuit inſtauratorem, quem illa fundatorem, ſcilicet Henricum II. ſanctum inter Germaniæ Reges, ita ut reciproce Canonici Chorum frequentare & diſtributiones quotidianas lucrari potuerint, mortuorum quoque habita fuerit memoria.

## §. XI.

## *DE EFFECTIBUS CONFRATERNITATUM ECCLESIARUM CATHED. ET COLLEG.*

Cum Confraternitates Eccleſiarum Cathed. & Colleg. nihil aliud ſint, quam pacta mutua inter prædictas Eccleſias & alias ſimiles vel Monaſteria inita, quibus paciscentes ſibi invicem ſua bona partim ſpiritualia, partim temporalia ita communicant, ut certo reſpectu tanquam Fratres unius Eccleſiæ vel Monaſterii haberentur, pacta autem varia ratione pro lubitu paciſcentium iniri poſſint, ſic & exinde eſt

manifeſtum, quod, prout ex adductis hactenus Confraternitatum inſtrumentis patet, admodum varient effectus harum Confraternitatum, & licet quidem plurimæ in eo conveniant, quod vivis Confratribus concedatur frequentatio chori, & præbeantur diſtributiones quotidianæ, pro defunctis autem ſacra funebria cum precibus perſolvantur, omnibus autem tam vivis quam defunctis Fratribus omnium bonorum operum fiat communicatio, adeoque & in dubio pro hisce capitibus ſtet præſumtio, & reſpective exinde fiat interpretatio, negari tamen nequit, partim plura, partim pauciora veluti, ſi cum remotione emolumentorum temporalium ſacra ſaltem promittantur, prout ex adductis pariter exemplis pateſcit, ſtipulari poſſe, adeoque Confraternitates hasce ultra ſtipulata in regula extendendas non eſſe, ſuadet tamen Fraterna charitas, ut, licet expreſſe ſtipulatum haud ſit, in neceſſitatibus Fratres partim bonis conſiliis, partim interceſſionibus, partim denique realibus etiam ſubſidiis, quousque vires permittunt, ſibi invicem ſuccurrant, cumque mutua ſit obligatio Confratrum, ac fides data ſit ſervanda, ſic ſequitur porro, quod nec illi Confratres, qui ſuas obligationes negligunt, nec in vivis, nec poſt mortem ex piis Confratrum officiis emolumentum aliquod poſſint capere. De cœtero, quemadmodum paciſcentes, & eorum ſucceſſores mutuo conſenſu vel tacito vel expreſſo a pactis initis, vel ex toto, vel ex parte recedere poſſunt, ſic & idem intuitu prædictarum Confraternitatum ſuam habet applicationem: adeoque hac ratione penes Eccleſias Fraternitate alias junctas vel varia Confraternitatum Capita ſucceſſive in deſuetudinem ſæpius venerunt, vel ipſæ Confraternitates plane eviluere: pro ſigno autem conſtantis in Confraternitate animi ſolet plerumque eſſe illud, ſi ſaltem Eccleſiæ unitæ ſingulis annis in aliquale Fraternitatis Symbolum calendaria, in quibus nomina & inſignia Fratrum viventium occurrunt, ſibi mutuo transmittunt; quæ calendaria in Fraternitatis memoriam plerumque in loco Capitulari vel ejus Atrio ſolent ſuspendi; denique cum in regula pacta ineantur ſub intellecta clauſula: *rebus ſic ſtantibus*, ſic etiam mutatis rerum circumſtantiis, dum unius vel alterius Eccleſiæ forma immutatur Confraternitas ſolet exſpirare, velut, ſi Collegium unius Eccleſiæ antea nobile transformetur in ignobile, Monaſterium in Eccleſiam Collegiat. &c. multo magis autem debuit ceſſare Confraternitas, dum ab unius vel alterius Eccleſiæ Corpore facta eſt Religionis immutatio, & Confratres unius Eccleſiæ relicta Religione Catholica Lutheranismum vel Calvinismum fuere amplexi, cum enim hi ex una parte ſecundum ſuæ Religionis dogmota rejiciant bona opera, eorumque communicationem, rideantque purgatorium tanquam fabulam, prout ajunt, papiſticam, precesque pro defunctis ludibrio habeant, dum eorum animæ nullius purgationis & precum unquam indigæ mox recta in cœlum avolant, Catholici vero

ſe-

ſecundum ſuæ fidei principia pro defunctis hæreticis orare nequeant, nec Schiſmatici ac Excommunicati tanquam conſtituti extra Eccleſiæ Cathol. communionem de bonis operibus Eccleſiæ Cath. participare poſſint, ſic ſequitur, quod in tali rerum commutatione Fraternitates ſacræ olim initæ ipſo jure exſpirarint.

## §. XII.

## *DE CONFRATERNITATIBUS ECCLESIARUM CATHED. ET COLLEG. GERM. CUM PERSONIS SINGULARIBUS INITIS.*

Quemadmodum autem Eccleſiæ Cathed. & Collegiatæ Germ. cum integris Collegiis frequentes inierunt Confraternitates, ſic & ſæpe numero perſonas ſingulares partim Eccleſiaſticas, partim Sæculares non ſolum in Fratres, ſed & ſæpius in Canonicos receperunt, & quidem, ut a perſonis Eccles. faciam initium, ſic Abbas Altachæ inferioris (Niederaltach) in Bavaria Paſſav. Diœces. ſe adhuc ſcribit *Canonicum natum Eccleſiæ Bamberg.*, ratio autem hujus ſingularitatis in eo fundatur, quod prædicti Monaſterii Abbas Boleslaus jam A. 1153. in Confratrem & Canonicum Eccleſiæ Bamberg. ab Eberhardo Epiſcopo fuerit aſſumtus, id quod teſtatur Diploma in Hundii *Metropoli Salisburg.* Tom. II. p. 3. edit. Ratisb. de A. 1719. ubi ait prædictus Epiſcopus: *Dominus enim Politzlanus venerabilis Abbas Altenſis Monaſterii inſpirante Deo, Monachorum & Clericorum ſuorum, pariterque Miniſterialium honeſtiſſimo Comitatu nos & Eccleſiam noſtram adiit, & in ſolemni celebritate Purificationis B. M. V. Altenſis Monaſterii ditionem nobis recognovit, & ejus inveſtituram a nobis recepit, conſentientibus univerſis Altenſibus, qui aderant, pro ſe & abſentibus Monachis, Clericis & Officialibus. Nos quoque prædictum Abbatem verum nobilem tam moribus, quam genere in Confratrem & Canonicum præ cœteris Abbatibus conſenſu totius Capituli noſtri recepimus, & eum Succeſſoresque ejus Abbates nobis & noſtris Succeſſoribus Collaterales ſemper eſſe decrevimus.* Et Gudenus *in Cod. Dipl.* Tom. V p. 155. refert, quod Henricum de Vach ex Haſſia oriundum præpoſitum Eccleſiæ Colleg. S. Crucis in Hünefeld & Plebanum A. 1298. Canonici Metropol. Mog. propter varia merita in Eccleſiam Mog in Fraternitatem & protectionem ſuam ſuſceperint; quod autem etiam Laici in Confratres a Collegiis Canonicorum fuerint aſſumti, pa-

tet

tet quoque ex documentis antiquis, ſic Albertus Rex Sueciæ Dux Megapol. & Joannes Dux Mecklenburg. A. 1490. teſtati ſunt: *ſe & majores ſuos Comites Suerinenſes Capitulum Raceburgenſe cum omnibus bonis & colonis præſertim, quæ & quos in terra Wittenborch, & ejus Advocatia poſſideret, in defenſionem & tuitionem benigne recepiſſe, præpoſitum autem, priorem, Canonicos & Capitulum Eccleſiæ Raceburg. ipſis eorumque Anteceſſoribus Fraternitatem ſuam contuliſſe, & ſingulis annis intra Octavam B. Martini Epiſcopi & Confeſſoris intra oppidum Witterburg. octo ulnas albi, & octo ulnas blaver panni, prout ipſi deferre conſueverunt, & ad præſens deferunt, cum uno pari ſoturalium bonæ notæ tribuiſſe*, quæ præſtatio ſublata quidem expoſt eſt *ſalva nihilominus inter Duces & Capitulum Fraternitate*. Apud Westphalen in præfatione ad Tomum IV. *Monument. inedit. Rer. Germ.* p. 50. in fine ſeq. Quod Capitulum Eccleſiæ Colleg. S Stephani Mogunt. Landgravio Thuringiæ Ludovico in gratitudinem ob bene præſtita in Thuringia in vindicandis reditibus officia in Fratrem & Canonicum ſuæ Eccleſiæ aſſumſerit, teſtatur Diploma in Joannidis Tom. II. Script. Rer. Mog. p. 520. in Diſſ. *de Capitulis clauſis Eccleſiarum Germ.* jam adductum. Illuſtre autem eatenus exemplum deprehendimus in regibus Germaniæ, & Imperatoribus, qui non ſolum Romæ, ſed & in Germania tanquam Fratres & Canonici honorarii variarum Eccleſiarum ſunt aſſumti, & ex parte adhuc hodie aſſumuntur, & quidem quomodo occaſione Coronationis Imper. Romanæ Canonici Eccleſiæ Vaticanæ S. Petri creati ſint, refert Joh. Ciampinus *in Synopſi Hiſtor. de ſacris Ædificiis a Conſtantino M. conſtructis* Tom. III. Oper. 1747. Romæ edit. in deſcriptione antiquæ Eccleſiæ Vaticanæ p. 84. dum ſcribit: *in quadam ex paraſtatis e diametro dictam porticum ab Aquilone in Auſtrum interſecantibus Ara antiquiſſima viſebatur S. Mariæ in Turri appellata,* (a) *ante hanc Imperator electus ad recipien-*

(a) Ad imitationem Capellæ Vaticanæ B. M. V. ſub Turri, vel inter turres, etiam in Germania Altaria vel Capellæ ſunt dedicatæ: ſic Osnabrugi habetur *Beneficium B. M. V. ſub Turri*, prout ex actis edocti ſumus, dum ſcilicet Imago B. M. V. Romæ in dicta Capella olim exiſtens dicta fuit *Imago B. M. V. ſub Turri*, cujus Copia Imaginis alio translata idem ſervavit nomen, prout idem conſtat de Imagine B. M. V ad nives, dum pariter Capellæ vel Eccleſiæ, in quibus habentur Copiæ Imaginis B. V., quæ in Baſilica Romana S. Mariæ majoris ſeu ad nives extat, etiam dicuntur *Eccleſiæ B. V. ad nives:* talis Capellula B. M. V. ad nives extat hic Moguntiæ in Curia Carthuſianorum, & quantum recordamur, etiam Salisburgi.

cipiendam a ſummo Pontifice Imperii coronam approperans, ubi Baſilicæ Gradus aſcendiſſet, oſculatusque Pontificis pedes fuiſſet, & ab eodem oſculo & amplexu benigne exceptus inter Canonicos adoptabatur, ſeque jurejurando Deo & B. Petro Apoſtolo promittebat, protectorem defenſoremque futurum. Fundantur hæc in conſtitutione Clementis V. in ODORICI RAYNALDI *Annal. Eccles.* ad A. 1311. n 12. ubi ordinatum: *deinde ſummus Pontifex cum ordinibus ſuis ad Altare procedit, & facta ibi oratione ad ſedem aſcendit Rege cum ſuis tribus Epiſcopis videlicet Oſtienſi & Portuenſi & Albanenſi in Eccleſia S. Mariæ in Turribus remanente, ubi a Canonicis S. Petri receptus in Fratrem Imperialibus induatur inſignibus.* Refertque ACHILLES MAFFÆUS & ipſe Canonicus Eccleſiæ Vatic. allegatus a TURRIGIO P. II. *de Cryptis Vatic.* edit. 2dæ p. 240. Carolum M. accepta per manus Leonis III. Pontif. corona primum Imperatorum fuiſſe, qui præfatæ Eccleſiæ Canonicus creatus fuerit, & ÆNEAS SYLVIUS *in Hiſtoria Friderici III. Imper. in* KOLLARII *Anecdot. Vindob.* Tom. II. Col. 290. teſtis avtoptis coronationis Imperialis Friderici III. ſcripſit: *Fridericus per aliquot Cardinales ad Capellam ductus, quæ intra Turres dicitur, ubi jusjurandum B. Petro & Nicolao Pontifici ſuisque Succeſſoribus in ea forma præſtitit, qua Ludovicum Magni Caroli Filium juraſſe Pontificum decreta confirmant: ibi quoque Alba indutus in Canonicum S. Petri receptus Confratribus, qui aderant, Canonicis oſculum dedit.* & Col. 294. narrat de eodem Friderico III. Imper. quomodo equites crearit, pergitque: *deinde cum jam ſol occideret, ad noctem enim protracta ſolennitas eſt, ad Lateranum ſe contulit, ubi in Canonicum Baſilicæ S. Joannis receptus, quæ prima Orbis Eccleſia dicitur, ſplendidum ibi convivium habuit:* & in ſuo Diario propria manu conſcripto in cit. KOLLARII *Annal. Vindobon.* Tom. II. Col. 675. annotavit idem Imperator: *Wann ich den Pabſt ernsleich piten ſoll, ſo ſoll ich ein peſunder Prifel ſchreiben mein Hand geſchrift, und dann den Titel ſetzen F. S. V. devotus Filius & Canonicus.* Quod Reges German. poſt coronationem German. olim in Fratres & Canonicos Eccleſiarum Leodienſis & Ultrajectinæ aſſumti fuerint, & loco illorum alii Clerici præbendis hisce Regiis proviſi ſint, eatenus fidem facit ANT. MATHÆI *de Nobil.* L. 2. C. 48. p. 744. & in Tract. *de Fatis & Fundat. Eccleſiæ Ultraject.* L. I. Fund. 2. p. 67. & quidem Conradus III. Imp. ait in Diplomate: *attendentes etiam nos & anteceſſores noſtros Reges & Imperatores a dicta Eccleſia a fundatione ejus inter Canonicos primum locum obtinere, noſtramque præbendam in eadem duos deſervire Sacerdotes pro noſtra ſalute & regni tranquillitate ac pace Dominum exorantes.* Et Henricus VI. in alio Dipl. *quum antiquiſſimis retro temporibus Romanorum*

*Reges & Imperatores anteceſſores noſtri veſtram experti ſint devotionem, eoquod communi electione & Canonica Regem Rom. ſeu Imperatorem pro tempore exiſtentem, & eorum ſucceſſores in Canonicum Eccleſiæ veſtræ & Fratrem elegiſtis faciendo præbendam ipſius debito officio per duos Sacerdotes a Rege vel Imperatore conſtituendos, qui pro Regibus & tranquillitate pacis & regni Dominum inceſſanter exorarent.* Pariter in Fratres & Canonicos Bamberg. & Colon. receptos eſſe Reges referunt FREHERUS ad L. II. *de* ANDLO. C. VI. p. 179. & THUANUS L. 32. Hiſt. p. 907. Quod Conradus III. Rex Germ. ſuſceptus fuerit Frater & Canonicus Eccleſiæ Cath. Spirenſis, patet partim ex veteribus ſic dictis Regulis Chori ſeu Necrologio Eccleſiæ Cath. Spir. in Archivio aſſervato, ubi legitur ad Menſem Febr. D. XV. Kal. *Cunradus* (ſcil. III.) *Rex & Frater noſter obiit*, partim ex variis Diplomatibus, in quibus ſe Fratrem dictæ Eccleſiæ profeſſus eſt. Quod porro Reges Germaniæ Eccleſiæ quondam Collegiatæ Regalis Neuhauſenſis extra muros Wormat. Fratres & Canonici fuerint, patet ex Diplomate Maximiliani I. Imper. de A. 1498. in SCHANATI *Cod. probat.* ad Hiſtor. Wormat. p. 280. n. 279. ubi ait: *vidimus, certisque Annalibus didicimus duos quondam Rom. Imperatores & Reges Sedem Reſidentiæ ibidem olim locaſſe, & expoſt eorum aulam Nuhuſenſem in Oratorium & Eccleſiam Collegiatam feliciter commutaſſe. . . . Sitque in hodiernum Regalis Eccleſia non immerito nuncupata, nos & ſucceſſores noſtros veriſſimos recognoſcentes Patronos: habemus quoque, prout dicti Annales ab antiquo docuere, vocem in Capitulo & ad Regale præſentare beneficium, in vim, ſignum & recognitionem juris patronatus, quæ ſæpe numero intra pectoris noſtri arcana revolvimus. &c.* Imperatorem etiam Eccleſiæ Cathedr. Wormat. olim fuiſſe Confratrem & Canonicum & vices ejus adhuc hodie ſupplere præbendatum Regium, ſicut Aquisgrani adhuc duo Vicarii vices Regis ſupplent, ſatis eruitur ex actis pub., quæ eatenus leguntur in BUDERI Diſſ. *de Canonicatibus Imperatorum Aug. Germaniæque Regum ac præbenda Regia die Königspfründe.* Inter ejus Opuſcula p. 439. ſeq. Quod denique Eccleſiæ Metrop. Mogunt. Imperator quondam fuerit Confrater & Canonicus, & hoc titulo adhuc hodie conferat ſic dictam *Vicariam Regiam*, ſequentia nos convincunt argumenta, quia 1.) nullum produci poteſt Veſtigium, quod ullus Germaniæ Rex quondam *Vicariam* ſic dictam *Regiam*, de qua eſt quæſtio, fundarit, prout conſtat de Fundationibus in aliis Eccleſiis Cath. a Regibus Germ. factis, velut in Spirenſi, Leodienſi, & Baſileenſi &c., ubi Reges Germ. qua Patroni & Fundatores partim adhuc conferunt, partim reſpective contulerunt præbendas Regias: conſequenter confert Imperator Vicariam Regiam Moguntinam, qua Canonicus quondam Eccleſiæ Metrop. Mogunt., cum diverſus a prædictis

dictis duobus titulis modus ſit incognitus. Imperator etiam in formula hujus Præbendæ collativa nec ad fundationem a Prædeceſſoribus factam, nec ad jus Patronatus provocet, ſed ſaltem dicat: *cum poſt obitum devoti nobis dilecti N. Vicaria Regia in Metropol. Mog. vacet, ejus collatio ex ſpeciali diſpoſitione ac reſervatione divorum quondam Prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Imperatorum feliciſſimæ memoriæ ad nos immediate ſpectet ac pertineat, hinc eſt, quod eidem laudabili conſuetudini firmiter inſiſtere, ſacrique Romani Imperii jura, quemadmodum tenemur, illibata conſervare volentes alium idoneum & qualificatum nobisque acceptum nominandum & ad vacantem Vicariam Regiam ejusque functionem & honorem præſentandum duxerimus, præſentamus itaque &c.* 2.) Quia Canonici illarum Eccleſiarum, ubi Reges Germaniæ coronati ſunt, potiſſimum hos in Fratres & Canonicos ſuſceperunt, & exinde Aquisgranenſis quoque receptio ſuas habet Origines: jam autem hic Moguntiæ antiquioribus temporibus Reges plerumque fuere coronati, prout deducetur in Diſſ. *de Curiis Solennibus Regum Germ. Moguntiæ celebratis.* 3.) Quia, prout jam annotatum fuit in Diſſ. *de Beneficio Eccles. authoritate Epiſc. legitime permutato ad effectum precum primariarum Imperialium haud vacante* p. 9. in Nota b., Capitulum Metrop. Mog. usque ad tempora Caroli VI. Imper. non admiſit preces primarias Imper. ſemper urgendo, quod Imperator jam perpetuus ſit Vicariæ Regiæ Collator, adeoque non duplici denominatione onerari poſſit Capitulum, ad quod fundamentum autem tanta cum conſtantia provocare haud potuiſſet, ſi Imperator ex fundatione & non ex libera in Canonicum aſſumtione ad exemplum Eccleſiæ Aquisgran. præbendam illam alicui Imperatorem repræſentanti conferret. 4.) Ipſe titulus præbendati, quod denominetur *Vicarius Regis*, denotat, eum in Choro Vicario nomine Regem repræſentare, cui 5.) accedit, quod olim hic Vicarius Regis non inter ſic dictos Vicarios ſeu Socios Chori numeratus ſit, ſed Canonicus Eccleſiæ Metropol. Mog. fuerit, cum autem ratione denominatorum ob deficientes qualitates ad Canonicum Mog. requiſitas potiſſimum nobilitatis intuitu variæ contentiones quondam enatæ ſint, tandem res cum Imperatore ita fuerit compoſita, ut hic præbendatus Regius eſſet ſemper primus Vicariorum Chori; Conf. Gudenus *in Cod. Dipl.* Tom. II. p. 729. (b) Id quod 6.) adhuc confirmatur ex eo, quia hic Vicarius Regis, qui licet eas-



(b) GUDENUS l. c. pergit: „ dictæ transactionis æram fruſtra indagavi, eandem nihilo „ ſecius ad tempora referendam eſſe antiquiſſima fidem faciunt litteræ ſub Dato III. „ Non.

eaſdem, quæ reliquis Vicariis Chori cedunt, diſtributiones quotid. ſeu jura Præſentiæ percipiat, non tamen habet ratione redituum præbendalium ſeparatum Corpus præbendale adinſtar aliorum Vicariorum Chori, ſed participat pro rata de illis fructibus præbendal., qui inter Canonicos Capitulares & Domicellares æqualiter dividuntur: adeoque ex fundatione Regia ejus præbenda oriri haud poteſt. (c) Falſum autem

---

„ Non. Nov. A. 1287. queis inducitur *Stephanus Sacerdos illuſtris Domini Romanorum* „ *Regis in Eccleſia noſtra Capellanus & præbendarius*, „ verum hæc verba non inferunt, quod hic præbendarius tum temporis non amplius fuerit Canonicus, ſed hæc transactio eſt longe recentior.

(c) Hic Vicarius Regius denominatur, prout ex antecedentibus jam patet, *Regalis Prebendarius*, item *Capellanus Regius*, non quod ſeparatæ Capellæ Regiæ, quam hic Moguntiæ extitiſſe non ſatis conſtat, ſervierit qua Capellanus, ſed quod reſpectu Regis ſui collatoris ita ſe denominarit, & degente Moguntiæ Rege forſan illi ſimul a ſacris fuerit; quod autem nulla hic Moguntiæ, prout quibusdam videtur, penes Eccleſiam Metrop. Capella Regia extiterit, cui inſerviit hic Vicarius Regius, manifeſtum redditur exinde, quia 1.) GUDENUS l. c. jam annotavit, quod hic Vicarius Regis, dum omnes reliqui Vicarii Chori ſuas habent Capellas vel Altaria, ſolus nullam habeat; deberet autem & ſuam habere, & quidem Regiam, ſi talis extitiſſet. 2.) Nec ullum occurrit Veſtigium talis Capellæ Regiæ in Chartis antiquis, ſcriptoribus Mog., vel traditione, adeoque dum AUTHOR extraneus *Geſtorum Balduini Archiepiſc. Trevir.* L. III Cap. 10. in REUBERI *Collect. Script. Rer. Germ.* p. 988. ſcripſit: „ *eodem Anno* (1353.) *D. Baldewinus præſente D. Carolo Rom Rege cum Colonienſi & Moguntino Archiepiſcopis in Vigilia Natalis Domini in Eccleſia Mogunt. Veſperas*, in Capella Regis *matutinas*, *& primam Miſſam Natalis celebravit*, *Regem communicavit*, *& confirmationem multorum privilegiorum impetravit*, per Capellam Regiam ſolummodo Oratorium Imperatori p. t. præſenti pro ſacrorum uſu paratum, quale adhuc hodie Imperatori præſenti pararetur, intellexit, & hoc Oratorium veriſimiliter fuit Capella S Gothardi adhuc hodie ſuperſtes, quæ, prout jam obſervavit SCHANNAT in *Hiſtor. Wormat.*, fuit quondam Oratorium ſeu Sacellum Aul. Archiepiſcoporum Mogunt., dum adhuc, antequam aliud Palatium ad ripam Rheni Martinoburgum dictum ſibi condiderant, in antiqua Curia Epiſcopali, quæ usque ad hodiernum diem vulgo *der Biſchoffshof* dicitur, ſedem habuerant, cum Carolus IV. prout aliunde conſtat, tum temporis in hacce curia Epiſcopali habitaculum, ſum-

tem eſt, quod habeat hic præbendatus præbendam liberam ſeu privilegium emanendi pro lubitu ex Choro, cum in Eccleſia Metrop. Mog. nequidem reſpectu Canonicorum, multo minus Vicariorum præbendæ liberæ obtineant, ſed potius Vicarius Regius



ſumſerit, non autem hoc ſenſu interpretandus eſt, hic ſcriptor quaſi propria & perpetua hic Moguntiæ fuiſſet Capella Regia: nec etiam illud exinde, quod Sæculo VIII. hic Moguntiæ Reges Francorum, (prout MABILLONIUS in ſuo Opere *de Arte Dipl.* Lib. IV. fol. 302. N. 95. obſervavit, & ex Chartis Sæculi 8. in SCHANATI *Tradit. Fuldens.* Nris XL. CIII. CXXXIII. CXXXIV. & CCCXXVI. patet, ubi de contiguis ædificiis S. Martini & D. Regis, nec non viæ Regiæ fit mentio) Palatium & quidem probabilius prope Eccleſiam Metrop. habuerint; Palatiis Regiis autem conjunctæ fuerint Capellæ Regiæ, inferri poteſt: nam licet multa Palatia Regia conjunctas habuerint Capellas Regias, veluti Aquisgranenſe, Francofurtenſe, Goslarienſe, Eliſaceum, Ingelhemenſe, non tamen omnia Palatia tales habuere, ſed reſpectu multorum Palatiorum vicinæ Eccleſiæ jam exſtructæ pro uſu ſacrorum inſervierant Regibus, prout catenus de Palatiis Norimbergenſi, Spirenſi, Wormat., Argentoratenſi aliisque exempla proſtant, imo etiam extra muros Mogunt. Eccleſia Monaſterii S. Albani pro Capella Regia inſervierat Regibus in Palatio ſeu curte Regia in Monte S. Albani exſtructa ſæpius degentibus; 2.) quodſi etiam Palatium Regium Moguntinum Sæculo VIII. propriam habuiſſet Capellam Regiam ab Eccleſia Metrop. contigua diſtinctam, illa tamen, ſicut ipſum Palatium Epiſcopis Mogunt. donatum tranſiit in Curiam Epiſcopalem, ita & ejus Capella Regia tranſiiſſet in Capellam Epiſcopalem. De Sacello S. Gothardi autem, de quo nullam mentionem fecit SERRARIUS, ſcripſit GUDENUS in *Cod Dipl.* Tom. II. p. 732. *multum ea præſefert antiquitatis, ut indubium ſit ante Matricem jam extitiſſe* Verum cum neſciatur, an hoc Sacellum in honorem S. Gothardi Epiſcopi Mogunt, cujus Feſtum in Proprio Mogunt. die 5. Maji colitur, & de quo SERRARIUS in *Joannidis* Tom. I *Rer. Mog.* p. 159 mentionem fecit, an vero memoriæ S. Gothardi Epiſcopi Hildes. (cujus feſtum alibi 4ta Maji, qua Corpus ejus elevatum eſt, Conf. *Acta SS. Antwerpienſia ad diem IV Maji:* in *proprio Mogunt.* autem pariter die 5ta Maji peragitur, dum Lectiones 2di Nocturni de S Gothardo Mog. 9na Lectio autem de S. Gothardo Hildes. recitantur) dicatum ſit, ſic Origo illius ſatis certo determinari haud poteſt; quodſi autem cultui S. Gothardi Epiſcopi Hildes., quod nobis ob celebritatem hujus Sancti ab ejus Canoniſatione per Germaniam ubique diffuſam (Conf. *Vita S. Godehardi Epiſcopi Hildesbemenſis* in LEIBNITZII Tom. I. *Script.*

gius adinſtar aliorum Vicariorum Chori frequentare Chorum, imo quotidie cum Vicario Episcopali ſeptimum Reſponſorium & ultimam Lectionem ſcilicet tertiam, vel reſpective nonam in Matutinis decantare teneatur, & haud comparens privetur diſtributionibus

---

*Script. Rer. Brunswic.* p. 482. ſeq. & *Hiſtoria Canoniſationis & translationis ejus Corporis* l. c. p. 505., ubi ejus miracula longo Ordine recenſentur) & ob plures tum temporis in honorem ejus dicatas Eccleſias (Conf. LAUENSTEIN in *Hiſtoria Diplomat. Hildes.* p. 276) veriſimilius videtur, conſecratum ſit, hic S. Gothardus autem A. 1131. die 29. Octob. relatus ſit in numerum Sanctorum ab Innocentio II. Pontifice in Concilio Rhemenſi, prout patet ex ejus Epiſtola in HARTZHEMII Tom. IV. *Conc. Germ.* p. 324., ſic in hoc ſuppoſito nonniſi Sæculo XII. exſtructum eſſe potuit Moguntinum S. Gothardi Sacellum, imo vix dubitamus, quin Adelbertus II. Archiepisc. Mogunt., qui A. 1141. in hac Capella S. Gothardi ſepultus eſt, ejus fuerit conditor. Quod autem hoc Sacellum contiguum antiquæ Curiæ Episcopali (quæ adhuc hodie ſpectat ad Electorem, quamque in ſtructura conſervare tenetur, de cætero autem alicui Canonicorum Eccleſiæ Metropol. Mogunt. pro libitu inhabitandam concedit, & in qua adhuc, dum Eccleſiam Metrop. in feſtivitatibus majoribus ingreditur, veſtimenta Eccles. induit) fuerit quondam Oratorium Archiepiscopale ſeu Sacellum Aulicum, hujus adhuc pariter varia ſuperſunt veſtigia, & quidem 1.) quod Sacellum hoc tanquam appertinens ad Curiam veterem Episcopalem in ſtructura pariter ſicut ipſam Curiam Episc. conſervare teneatur Camera Elector., & exinde, dum A. 1767. die 22. menſis Maji ex incendio, hora X. Veſpert. incœpto & ex fulmine enato, quod turrim Eccleſiæ Metrop. Mogunt. principalem conſumſerat, etiam tectum Capellæ S. Gothardi conflagravit, impenſis Cameræ Elect. illud fuit reſtitutum: 2.) Quod Elector Mog. Vicariam S. Gothardi in Ordine Vicariarum Chori Eccleſiæ Metrop. Mogunt. tertiam, cujus poſſeſſor quondam Rector hujus Sacelli fuit, & qua Capellanus Archiepisc. ſacra facienti Archiepiscopo in Feſtis Archiepiscopal. olim ad pedum, ſicut duo alii Vicarii S. Martini Episcopales ad librum & infulam miniſtrare tenebantur, adhuc hodie conferat tanquam beneficium ſui quondam Capellani Aulici, & licet hodie non amplius ad pedum miniſtret Archiepiscopo, ſicut nec reliqui duo prædicti Vicarii ad librum & mitram inſerviunt, ſed primus Sacellanorum Aul., quem Ceremoniarium vocant ad librum, & duo Domicellares Metrop. ſeniores ad pedum & mitram miniſtrant, Vicarius tamen S. Gothardi adhuc hodie in Choro Metrop. in Feſtis Archiepiscopalibus decantare tenetur Preces in Officio nocturno & diurno, quas olim ipſe decantaverat Archiepiscopus. Exoptandum igitur foret, ut vetus hocce Oratorium Archiepiscopale ſeu Sacellum Au-

nibus quotidianis adinſtar aliorum Vicariorum Chori, (d) & ſi negligentior fuerit, tam bene poſſit corripi a Decano ac alii Vicarii Officio ſuo haud facientes ſatis.

Quomodo deniqùe noviſſimi Imperatores Carolus VI. VII. Franciſcus & Joſephus II. tanquam Fratres & Canonici Eccleſiæ Colleg. B. M. V. Aquisgranenſis aſſumti ſint, referunt *Diaria Coronationis* eorum. (e) Add. Præsidis Diſſ. *de Capitulis clauſis Eccleſiarum Cathedr. & Collegiat. in Germania* §. XXIX. p. 136. ſeq & Hertii Diſſ. *de uno homine plures perſonas ſuſtinente.* Vol. I. Tom. III. Diſſ. Sect. III. §. 14. p. 40. (f)

§. XIII.

---

Aulicum, quod hodie ſaltem pro tranſitu in Eccleſiam Metrop. inſervit, & in quo tempore nundinarum mercatores ſuas merces exponunt, & in cujus ſuperiore parte Archivium ſanct. Albanenſe cuſtoditur, priſtinæ ſuæ formæ reſtitueretur.

(d) Licet privatione pœnali diſtributionum quotid. pro reliquis Vicariis recentius ſtatuta, vi cujus Vicarius bis in ſeptimana emanens ex horis Matutinis juribus præſentiæ integræ ſeptimanæ privatur, haud puniatur, ſed neglecta ſaltem amittat præſentiæ jura.

(e) Conf. *Wahl- und Crönungs-Diarium Caroli VII.* P. II. p. 61. *Franciſci* P. II. p. 116. & Joſephi II. 2ter Abſchn. p. 134. §. 256. 257. & 258.

(f) Conf. *Ludovici* FEY *Auguſtæ Trev.* A. 1750. habita Diſſertatio *de Imperatoribus præbendatis Regiis ac Canonicis nonnullorum Capitulorum præſertim Eccleſiæ Regiæ B. V. M. Aquisgrani.* Ubi de Regibus Hiſpaniæ, Galliæ Angliæque inter Canonicos variarum Eccleſiarum relatos varia lectu digna exponuntur. De Rege Galliæ ſcripſit MORNACIUS *in obſerv.* ad L. 14. *de Relig. & ſumt. fun.* „ fere nemo neſcit primatem Canonicorum eſſe Regem noſtrum in pluribus Regni Eccleſiis, ut, ſeu adeat Martinianum apud Cæſarodunum Turonum, ſeu Hilarianam apud Pictones, Anianam apud Aurelianos, Andenſem, Cænomanam, Quintianam, & alias complures, pelliceus amictus, ſuperpelliciumque offerantur ingredienti ab univerſis Canonicis, quæ reaccipit. „ Add. ANT. D'ESPEISSES Tom. III. oper. Tit. III. *de Benefic. Eccles.* §. 100. qui

# §. XIII.

## DE CONFRATERNITATIBUS MONASTERIORUM GERMANIAE INTER SE.

Quemadmodum autem Eccleſiæ Cath. & Colleg. in Germania multas inivere Confraternitates partim cum aliis ejusmodi Eccleſiis, partim cum Monaſteriis, ſic & Monaſteria Germaniæ frequentes inter ſe inivere Confraternitates, ut autem præ reliquis iterum Moguntina eatenus producam exempla, ſic jam A. 1091. Willhelmus Abbas Hirſaug. inivit Confraternitates cum variis Monaſteriis Trevir., prout refert BROWERUS *in Antiquit. Trevir.* p. 567., & A. 1128. ſimilis conſtituta fuit inter Monaſteria S. Diſſibodi & Sponhemenſe teſtante TRITHEMIO *in Chron. Sponh.* ad. d. Annum. & 1264. Quido Prior Provinc. Ord. Eremit. S. Auguſt. per Alemanniam Priorem & Conventum in Monte S. Jacobi Mogunt. Ord. S. Bened. recepit in Confraternitatem, innovataque fuit hæcce Confraternitas A. 1722. prout patet ex ſequenti Diplomate:

*Nos Pancratius Dei providentia Abbas, Fridericus Prior & Conventus Eccleſiæ S. Jacobi Ord. S. Bened. admodum Reverendo Eximio, ampliſſimoque Domino Chriſtophoro Ord. Eremit. S. Auguſt. Exprovinciali & p t. Moguntiæ Priori digniſſimo, totique ejusdem venerabili Conventui ſalutem & Spiritus S. conſolationem.*

Ad

---

qui autem hanc prærogativam male tribuit unctioni Regum, quæ unctioni Presbyterali æquipararetur. Quod Reges Hiſpaniæ Fratres & Canonici Burgenſes alias creati ſint, memorat BECKMANN *in Polit. paralell.* C. XVI. §. 21., verum Fratres hi Canonicorum Laici ſaltem fuere Canonici honorarii, adeoque illos haud concernebat, dum *Concilium Montiſpellienſe* A. 1214. a Petro Beneventano Sedis Apoſtol. legato habitum Can. VIII. inhibuit, ne Laici in Canonicos aut præbendas recipiantur. Conf. ALEX. NAT. Tom. VII. *Hiſtor. Eccles.* p. 156. in *Concilio Bitterenſi* (Beziers) A. 1233. ſtatuebatur, ne Canonici ſæculares habeant ſtallum in Choro aut vocem in Capitulo, qui non fuerint in ſacris Ordinibus conſtituti, niſi ex cauſa cum eis ab Epiſcopo fuerit diſpenſatum. ALEX. NAT. l. c. p. 161.

*Ad renovandam ab A. 1264. 2do Idus Mart. Confraternitatis hactenus habitæ amicitiam charitatis veſtræ & devotionis affectus, quem erga Ordinem noſtrum ſpecialiter vos habere cognovimus, merito requirit, ut beneficia Spirit. Eccleſiæ noſtræ a Deo collata vobis gratioſius impertiamur; quare Dei Omnipotentis miſericordia & Genitricis ejusdem, ſanctiſſimi Patriarchæ Benedicti, omniumque Sanctorum meritis & precibus confiſi vos ad Confraternitatem noſtram ſpiritualiter admittentes participationem omnium ſpiritualium Beneficiorum, Miſſarum, Vigiliarum, Orationum cæterorumque exercitiorum, quæ fiunt, & quæ de cætero in Eccleſia noſtra fient, plena vobis concedimus charitate ad vitam pariter & ad mortem, addentes de gratia ſpeciali, & cum dies obitus alicujus veſtrum nobis innotuerit, tantum fiet pro illo in Vigiliis, Miſſis, Pſalmis, Orationibus, quantum pro uno de Confratribus noſtris fieri conſuevit, cum decedit. Scilicet illo die recitabitur totum Officium Defunctorum, & ſequenti die celebrabitur Miſſa ſolemnis de Requiem, & unusquisque Patrum celebrabit unam Miſſam pro Defuncto, in ſolatium vero Confratrum dabitur una portio extraordinaria in vino & cibo, ad quorum omnium robur perpetuum & evidens teſtimonium noſtra ſigilla præſentibus duximus appendenda. Datum in Monte ſpecioſo S. Jacobi Apoſtoli majoris Moguntiæ die 2. Aprilis Anno Dni 1722. Pancratius Abbas, Fridericus Prior & Conventus.*

Similem unionem A. 1263. inter ſe iniverunt Moniales Monaſterii S. Agnetis Moguntini (a) cum monialibus S. Agnetis Romæ extra muros. (b) Inſtrumentum unionis adhuc ineditum merito ſubjicimus: *Religioſis ac devotis dilectis ſibi in Chriſto ſororibus Dominæ. . . Abbatiſſæ totique Collegio Sanctimonialium ſanctæ Ag-*

(a) De Monaſterio hoc S. Agnetis in foro gentili egit JOANNIS Tom. II. *Script. Rer. Mog.* p. 875., cum autem hæc Confraternitas jam ſit inita A. 1263., non potuit cœpiſſe hoc Monaſterium circa A. 1290 prout *cit. loc.* ſcripſit JOANNIS. Fuerat autem tum temporis Ord. Ciſterc.

(b) Duæ ſunt Romæ Eccleſiæ S. Agnetis, una ſplendidiſſima in *Piazza Navona*, altera eſt extra civitatem *S. Agneſe fuori di porta Pia*, de qua hic eſt quæſtio. Antiqua hujus Eccleſiæ monumenta exhibuit CIAMPINUS *in Monum. Vet.*, moniales hujus Eccleſiæ, quæ præſentem iniverunt Confraternitatem, texunt Pallia, quæ a Pontificibus Archiepiſcopis conferuntur, de quorum confectione & Ceremoniis die S Agnetis fieri ſo-

*Agnetis in Maguntia. . . . Abbatiſſa & Collegium Ancillarum Chriſti S. Agnetis extra Muros Urbis Romanæ cum devotis orationibus & humilibus ſinceram in Domino caritatem. Cum ratione unius Patronæ, videlicet beatæ Agnetis conjunctæ ſimus invicem in Domino vinculo caritatis, & vos in augmentum conjunctionis firmioris receperitis nos in plenam Fraternitatem, ſicut patet veſtris litteris patentibus, quas recepimus & habemus, nos idem vinculum caritatis non diſſolvere, ſed potius confortare volentes vos in plenam Fraternitatem vice verſa recipimus, quam confirmatam vobis transmittimus per præſentes promittendo nihilominus, quod in memoriam hujusmodi Fraternitatis perennem ſingulis annis pro vobis & omnibus Fraternitate vobis conjunctis cantabimus Miſſam unam pro vivis cum collecta:* prætende Domine fidelibus tuis &c. *& aliam pro defunctis cum Collecta.* Deus veniæ largitor &c. *Sicut pro nobis cantare vice verſa veſtris litteris promiſiſtis, & ut prædictam Patronam noſtram, videlicet beatam Agnetem corporaliter, ſicut ſpiritualiter habeamus, communem vobis partem transmittimus de cineribus corporis ſui ſancti, & præterea de oſſibus beatæ Conſtantiæ Virginis, quæ fuit filia Conſtantini, ſperantes, quod eis apud vos honor, & reverentia debeant exhiberi. Datum & Actum Anno Dni MCCLXIII. VI. Idus Junii.* Similis Confraternitas inter Monaſterium *Ilbenſtad.* Ord. S. Norberti cum *Seligenſtad.* Ord. S. Bened. A. 1341. inita fuerat, cujus Diploma legi poteſt in Clariſſ. WÜRDWEINII *Notitia Diplom. de Monaſterio Ilbenſtad.* A. 1766. edita p. 78. Diploma Confraternitatis a Monaſterio *Arnſpurg.* Diœc. Mog. A. 1416. cum Monaſterio *Naumburg.* in Wetteravia pariter Diœc. Mog. Ord. S. Bened. initæ retulit JOH. ADAM. BERNHARD *in denen Wetterauiſchen Alterthümer:* Part. Spec. I. Abtheil. p. 59. Confraternitatem inter Monaſteria *Oſterhovenſe & Altachienſe refert* HUNDIUS *in Metrop. Salisburg.* Tom. III. p. 31. A. 1234. Abbatiſſa Monaſterii S. Catharinæ *Eiſenacenſis* ſimilem inivit cum Monaſterio *Corbejenſi,* V. Diploma in LÜNIGII *Arch.* J. Part. III. Spicileg. Eccl. p. 103.

Alias

ſolitis conferri poteſt ESPENIUS *in Jure Eccles. Univ. P. 1. Tit. 19. C. 5. N. 7.* KEYSLER *in denen neueſten Reiſen* p. 475. *ſeq.* De hac Eccleſia & palliis quoque mentionem fecit, verum eatenus, uti & de Catacumbis S. Agnetis varia mendacia venenato calamo protulit. Inſerviit hujus KEISLERI *Itinerarium* PRÆSIDI in ſuis Itineribus litterariis pro directorio, deprehendit autem *Keislerum* maximum eſſe Thraſonem, centies fuiſſe mentitum, alia malitioſe in alienum detorſiſſe ſenſum, alia autem, quæ veriſimiliter nequidem viderat, ex *Miſſonio* & aliis mendacibus deſcripſiſſe, ut de illo recte dici poſſit illud Gallorum Proverbium: *un Voyageur & Menteur ſont des Synonimes.*

Alias Monaſterii *Quedlinburg*. Confraternitates refert KETTNER *in Antiquit Quedlinb.* p. 463. & 466. plures Confraternitates Monaſterii *Walckenried.* recenſent LEUCKFELD *in Antiquit. Walckenried.* p. 180. & ECKSTORM *in Chron. Walckenried.* Vi Confraternitatis A. 1330. a Monaſterio *Neuſtat.* ad Mœnum cum Monaſterio *Solitarienſi* (Schlüchtern) Ord. S. Benedicti ſtabilitæ præter alia conſueta promiſit & illud: *ſi vero aliquis aut aliquot ex ſepedictis Fratribus ad nos miſſus ſeu miſſi fuerint ob ſuos exceſſus perpetratos, aut ob Eccleſiæ eorundem egeſtatem pro tunc, Confraternitatis de jure eidem aut eisdem, ſicut uni de noſtris, unicuique eorum per annum in victu providere & veſtitutu volumus, ſi vero aliquis aut aliquot cum licentia ſui Abbatis ad noſtram Eccleſiam pervenerit, ſeu pervenerint propter deductionem faciendam, ex tunc debebimus eandem apud nos tenere, & ſicut dominis noſtris, per menſem prebendam impertiri, & omnia alia, que ab antiquo in Confraternitatibus obſervabantur pro ipſis, & in ipſis volumus integraliter compatrare.* Conf. BERNARD l. c. p. 60. Imo ejusdem Ordinis Monaſteria ſæpe adhuc ſpecialibus Confraternitatibus fuere vinculata, ſic licet Monachi Ord. S. Bened. omnes eſſent Fratres & Filii ejusdem S. Patris, attamen varia eorum Monaſteria particulares adhuc easque arctiſſimas inter ſe inivere Fraternitates, de quibus egit MABILLONIUS Tom. IV. *Veter. Analect.* p. 645. talis Fraternitas fuit Benedictinorum *Friſigens.* cum Benedictinis *Scarantienſibus*, *Sshlechdorffenſibus*, ac *Schierſeenſibus*, nec non *Augiæ divitis*. Conf. MEICHELBECK in Diſſ. IV. Proleg. ad Tom. I. *Hiſtor. Eccles. Friſing.* p. 22. & in Diſſ. II. Prolegomena ad Tomum II. p. 10. Similis Confraternitas ab antiquo fuit Monaſteriorum *Stabulenſis* & *Malmedurienſis*, quæ uni ſimul Abbati ſubſunt. *In cit. Analectis* MABILLONII T. IV. variæ adhuc recenſentur litteræ ad ineundam ſuffragiorum ſocietatem: formula notificatoria Monaſterii *S. Galli* ad Confratres miſſa ob defunctum Fratrem talis fuit: *Fratribus in Chriſto dilectis nos Fratres de Monaſterio S. Galli ſalutem: intimamus caritati veſtræ obitum Fratris noſtri N. defuncti, pro cujus anima ſolitas preces agere dignamini.* l. c. p. 418. Ibidem recenſentur Monaſteria, cum quibus Confraternitatem habuit Sæc. IX. Augienſe Monaſterium; copioſiorem autem ex Mſto Aug. in ſuo *Itinere Alemnanico* p. 266. recenſionem exhibuit GERBERT. Eo pertinent commemorationes a *Sylvæ majoris* Monachis pro aliarum Eccleſiarum alumnis fieri ſolitæ apud MARTENIUM Tom. I. *Theſ. nov. anecd.* p. 258. Confraternitates inter Monaſterium *S. Blaſii* & Hugonem Abbatem *Cluniac.*, nec non congregationem *Fructuarienſem* refert GERBERT. *in Monument. Veteris Liturgiæ Alem.* P. II. p. 139. & cum Monaſterio *Augiæ divitis in Itinere Alem.* p. 266. ſeq. *Hirsaugienſes* Confraternitates retulit TRITHEMIUS *in Chron. Hirsaug.* T. I. p. 296. ſeq. *Einſi-*

delenſes Hartmannus *in Anal. Heremi Deip.* Mellicenſes Huber *in Auſtria ex Archivo Mellicenſi illuſtrata* &c.

## §. XIV.

## *DE AFFILIATIONIBUS A RELIGIOSORUM ORDINIBUS FIERI SOLITIS.*

Cum Confraternitatibus Monaſteriorum connexionem habent affiliationes, quæ ſunt in effectu Confraternitates unilaterales, dum ſcilicet Monaſterium vel integrum aliquod Corpus, vel ſingulum quendam reddit non ſolum participem ſuorum bonorum operum in vivis, ſed & poſt mortem ejus ad ſacra peragenda, precesque pro illo fundendas ſe obſtringit, quin reciproce ad ſimilia ſe obſtringant affiliati, plurima eatenus proſtant exempla, dum affiliationes ejusmodi tam reſpectu Corporum Eccleſiaſticorum & Sæcularium, quam reſpectu ſingulorum ſunt factæ: ſic Joan. Maur. Gudenus *in Hiſtoria Erford.* in Joannidis Tom. III. *Script. Mog.* p. 151. refert: Conradus Archiep. Mog. A. 1294. *Dithmaro Petrenſium Abbati, quod Religioſam in cœnobio Diſciplinam accuratius ſervaſſet, infulæ Privilegium a Pontifice impetrat, pro tanti beneficii memoria Elector cum ſucceſſoribus in Confraternitatem iſtius religioſi cœtus aſſumptus eſt*, & Eccleſia Metropol. Mog. a Monaſteriis & Fratribus Ordin. Carthuſienſium A. 1339. fuit affiliata teſtante diplomate in Gudenus *Cod. Dipl.* Tom. III. p. 310., ubi hæc notatu digna declarant Charthuſiani totius Ordinis: „ *exigente pie devotionis affectu, quem ad Ordinem noſtrum & ſpecialiter ad Domum Montis S. Michaëlis prope Moguntiam Ordinis noſtri habere vos didicimus, eoquod eandem Domum ab Eccleſia veſtra ſciamus fundatam & tamquam Gallina pullos ſuos ſub alis confovens veſtra fideli protectione Dei in vobis gratia cooperante, conſilio & auxilio effectualiter ſubſequente noverimus defenſatam, nos igitur de divina clementia humillime confidentes pro tranſitoriis eterna vobis rependere cupientes vobis ſingulis ac univerſis plenam participationem omnium bonorum Spirit., que fiunt & de cetero fient Domino inſpirante in toto Ordine noſtro in Miſſis, Orationibus, vigiliis, abſtinenciis, & aliis Spiritualibus exercitiis ad preces & requiſitionem Prioris & Conventus Montis S. Michaëlis ſupradicti noſtrorum Fratrum chariſſimorum concedimus in vita pariter & in morte, adjicientes ex gratia ſpeciali, quod quando obitus veſter, aut alicujus veſtrum noſtro Capitulo Gener. fuerit intimatus &c.* „

Similem participationem omnium bonorum Spirit. A. 1341. conceſſit idem Generale Capitulum Carthuſiæ Capitulo Cathedr. *Brandenburg.* teſtante diplomate in PHIL. WILLH. GERCKEN *ausführlichen Stiffts - Hiſtorie von Brandenburg.* in Cod. Dipl. p. 553 n. 102. in eadem fere forma obtulit eidem Capitulo A 1491. JOACHIMUS TURRIANUS Ord. Prædicat. Magiſter participationem omnium bonorum Spirit. Ordinis ſui l. c. p. 667. *Volens inſuper & concedens, ut, cum veſtri obitus in noſtro generali Capitulo fuerint intimati, pro vobis Miſſæ, & Orationes & alia ſuffragia injungantur, ſicut pro Fratribus noſtri Ordinis defunctis communiter fieri conſuevit, ut multiplici ſuffragiorum præſidio, & hic augmentum gratiæ & in futuro mereamini æternæ vitæ præmium poſſidere.* Affiliationem Ordo Ciſtercienſium Capitulo Cath. Spir. A. 1307. conceſſit hujus tenoris: *Venerabilibus & in Chriſto dilectis Dno Decano, Canonicis, totique Capitulo majoris Eccleſie Spirenſis Frater Henricus Abbas Ciſtercienſis, totusque Conventus Abbatum Capituli Generalis ſalutem, & Orationum ſuffragium ſalutare. Exigente pie devotionis affectu, quem ad Ordinem noſtrum accepimus vos habere,* (a) *petitioni veſtre per Venerabilem Co-Abbatem noſtrum de Alba nobis oblate, benigno concurrentes aſſenſu concedimus vobis plenariam participationem omnium bonorum, que fuerint ac de cetero fient in Ordine noſtro, Deo dante in vita pariter ac in morte, ita quod cum obitus veſter noſtro fuerit Generali Capitulo nunciatus, ibidem, ſicut vivis noſtrum abſolvemus, omniumque Miſſarum & Orationum quas in ipſo Capitulo annis ſingulis pro Fratribus noſtris injungimus faciendas, efficiemini participes & conſortes. Datum apud Ciſterc. Anno Dni MCCCVII. tempore Capituli Generalis.* Affiliatio Canonicorum Cath., Scti Germani, S. Widonis, & SS. Trinitatis Eccleſiarum Spirens. a Fratribus Minoribus Conventual. Spirenſ. A. 1339. facta & hactenus inedita ſequentis eſt tenoris: „ *Nos Guardianus totusque Conventus Fratrum Ordinis Minor. Domus Spirens. tenore præſentium recognoſcimus publice profitendo, quod nos*



(a) Dubio procul affectus ille Capituli Spirenſis Eccleſiæ origines habuit a temporibus S. Bernardi, qui ipſe A 1147. degebat Spiræ, dum a Conrado III. Germaniæ Rege ibidem celebrabantur Comitia, Regemque cum multis aliis principibus teſtante Ottone Friſing. L. 1. de geſtis Friderici I. Cap. 39. ad ſuſcipiendam expeditionem cruciatam induxit, & ibi plurima in publico vel occulto fecit miracula, quo tempore etiam Bernardum in Eccl. Cath. Spir. ad Imaginem Deiparæ recitantem hymnum *Salve Regina* vocem *ſalve Bernarde* audiviſſe ferunt ejus Biographi. Extat etiam non ſolum adhuc hodie Spiræ Capellula S. Bernardo dicata contigua diverſorio ad Capitulum Cathed. Spir. ſpectanti, quod dicitur *die Pfaffenſtube,* forſan condita eo in loco, ubi tum temporis hoſpitium habuerat prædictus ſanctus, ſed & appoſita fuit ſplendido Eccleſiæ Cathed. Spirens. a ruinis poſt incendium Gallicum jam reſtitutæ, frontiſpicio noviſſime exſtructo ſtatua S. Bernardi.

*pie ac ſalubriter advertentes, quod honorabiles in Chriſto Dnos, Prepoſitos, Decanos, Capitula & Canonicos, Majoris, Scti Germani, Scti Widonis, & SS. Trinitatis Eccleſiarum Spirens. multis jam retroactis temporibus benevolas erga nos & Domum noſtram invenerimus, favorabiles & intentos, & plerumque in noſtris indigentiis adjutores, ea propter reciproce caritatis vicem eis impendere cupientes, plenam eisdem communiter & diviſim tam in vita, quam in morte, bonorum omnium participationem concedimus, que per nos deinceps in Miſſis, Sermonibus, Ordinibus, Vigiliis, Jejuniis, & aliis quibuscunque piis operibus fient Dno concedente, & ut ſublatis hinc inde inter nos ſimultatibus, ſique forent, jugis vigeat conformitas, & familiaritas inviolabiliter obſervetur, prefatique Dni Præpoſiti, Decani, Capitula & Canonici ad continuanda erga nos hujusmodi Beneficia, avidius animentur, tractatu & deliberatione inter nos ſuper hoc prehabitis, pro nobis, & ſucceſſoribus noſtris ad hoc nos offerimus, & eſſe volumus obligati, quod quandocumque, quotiescumque, & ubicumque Prelatum aliquem, vel Canonicum majoris Eccleſie Spirens. de his, qui nunc ſunt, vel eorum ſucceſſoribus ab hac luce decedere contingeret, poſtquam de ejus obitu nobis conſtiterit, aut ſuper hoc fuerimus requiſiti, ſine dilatione Vigilias pro ipſo in Eccleſia noſtra conventualiter celebrabimus & decenter: & ſi Corpus decedentis in civitate Spirenſi vel ejus ſuburbio ſepeliendum fuerit, miſſe defunctorum pro ipſo celebrande, Exequiis & ſepulture ſue cum Cruce proceſſionaliter & conventualiter adeſſe, & intereſſe debebimus ſine fraude, & nihilominus usque ad triceſimum Diem ſui obitus in miſſis & aliis piis Operibus noſtris, memoriam ejus habebimus, & haberi ſalubriter faciemus; ſi vero Corpus Prelati vel Canonici taliter decedentis, in civitate Spiren. vel ejus ſuburbiis ſepeliri non deberet, Vigilias tamen juxta modum promiſſum, & miſſam ſolempnem defunctorum in Eccleſia noſtra conventualiter celebrabimus pro eodem, & ſui memoriam usque ad Diem triceſimum habebimus, ut eſt dictum, ſiquem etiam Canonicum aliarum Eccleſiarum, ſancti Germani videlicet, ſancti Widonis, & Beate Trinitatis, de his, qui nunc ſunt, vel eorum ſucceſſoribus decedere contingeret, quam primum de ejus obitu nobis conſtiterit, aut ſuper hoc fuerimus requiſiti, Vigilias & Miſſam ſolempnem Defunctorum pro ipſo in Eccleſia noſtra conventualiter celebrabimus ſine fraude, & ejus memoriam usque ad triceſimam Diem ſui obitus in miſſis & aliis piis Operibus noſtris habebimus, & haberi faciemus, hoc ſalvo, quod Canonici earundem Eccleſiarum pro Memoria Canonici decedentis pannum in Eccleſia noſtra ſternere, & cereos habere poterunt, ſi voluerint, in Vigiliis, & in Miſſa absque noſtris expenſis, ipſis etiam Vigiliis, & miſſa ſinitis pannum hu-*

*hujusmodi*, *& cereos extantes reſumere ſibi poterunt, ſi voluerint, ſine fraude. In quorum evidentiam & firmitatem Litteras preſentes prefatis Dominis Sigillo Conventus ſeu Domus noſtre tradimus communitas. Datum Anno Dni MCCCXXXIX. Feria 2da ante Feſtum Aſcenſionis Dni.*

A. 1283. Eccleſia Cathed. *Mindens.* ab Henrico Fratrum Ord. Prædicat. per Theutoniam Priore Provinciali pro provincia Theutoniæ affiliata eſt. Vid. Diploma in Claris WÜRDWEINII *Subſidiis Diplom.* Tom. X. N. XXII. p. 37., huc etiam ſpectat Diploma a Carthuſia Trevirenſi S. Albani Monaſterio S. Albani Moguntino A. 1386. conceſſum in cit. *Subſid. Diplom.* T. X. *in Præf.* N. *XLI.*, vi cujus hi illis *propter collationem gratuitam pretioſarum Reliquiarum S. Albani piiſſimi pariter Patroni ſui, viciſſitudinem ſpiritualem caritative refundentes in vita pariter & in morte conferunt gratioſe plenariam participationem videlicet omnium Miſſarum, Orationum, Vigiliarum, Abſtinentiarum, jejuniorum, Eleemoſinarum, Caſtigationum ac univerſaliter omnium bonorum operum, & exercitiorum, que per ipſos & per poſteros ſuos operari dignabitur in perpetuum clementia Salvatoris. Adjicientes inſuper ex gratia ſpeciali, quod cum obitus illorum ipſis extiterit nunciatus, ſpecialia ſuffragia facient, pro animarum illorum remedio & ſalute ſempiterna.* Anno Dni MCCCLXXXVI. ſecundum modum & ſtilum ſcribendi in Diœceſi Trevirenſi, craſtina Dominice, qua in Eccleſia Dei *exurge* decantatur. STAPHORST *in Hiſtoria Eccleſ. Hamburg.* P. 1. Tom. II. p. 673. exhibet Theodorici Holſte Prioris Monaſterii Prædicatorum Hamburg. conceſſionem omnium meritorum & laborum Conventus ſui Serratoribus (*Sägeren*) civitatis Hamburg. Fraternitatem SS. Coſmæ & Damiani tenentibus A 1458. factam. Ibidem p. 689. extant *Mathiæ* Patris Provincialis Minoritarum in Saxonia litteræ, quibus eosdem Serratores participes reddit bonorum operum 2186. Monaſteriorum S. Franciſci & S. Claræ. Conf. idem STAPHORST l. c. P. I. Tom. IV. p. 50. Adhuc frequentiores fuerunt Affiliationes ſingularum perſonarum: memorabile exemplum de Ottone IV. Imp. refert ARNOLDUS LUBEC. L. VII. *Chronici Slavici* C. 19. ſcribens: *finita autem feſtivitate* (Pentecoſtes) *Rex abiit Goslariam, & ordinatis ibi quibusdam negotiis proceſſit Walckenrede, ubi invenit Abbatem de Morimunde cum aliis* 50. *Abbatibus ſui Ordinis, qui eum omnes ſuæ Fraternitatis ſocium, & Orationis fecerunt, & ſic Regem ſecuti ſunt ab ipſo largiter procurati usque Herbipolim.* Tales affiliationes fuere a. 908. Adalberonis Epiſc. Auguſt. & Conradi Conſtant. Epiſc. in GOLDASTI *Tom. II. Rer. Alem.* p. 142. & 43. Quomodo varii nobiles cum uxoribus & liberis a Monaſterio Offerhovenſi affiliati ſint, refert HUNDIUS *in Metrop. Salisburg.* Tom. III. p. 32. Litteræ affiliationis, quae

A.

A. 1300. Jacobus Prior Provinc. Fratrum Eremitarum Ordinis S. Willhelmi per Allemanniam conceſſit Petro Baſil. Episcopo poſtea Archiepisc. Mog. legi poſſunt in cit. Claris. Würdweinii *ſubſidiis Diplom.* N. 55. p. 396. Similes Litteræ eidem a Priore Gen. Eremitarum S. Auguſtini A. 1308. conceſſæ extant ibidem p 405.; Quomodo A. 1462. *Arnth Holthauſen* patritius Francofurt. ab Ordinis Teut. Magiſt. Fratre Ludovico ab Elrickshauſen in filium Ordinis adoptatus ſit, docet Diploma in Lersneri *Chronico Francofurt.* Tom. I. L. I. C. 15. p. 297 ubi ſimul obligationes piæ Fratrum Ordinis Teut. pro illo tempore deſcribuntur in formalibus. „ *Wir machen en auch theilhafftig aller Meſſen, Gebetten, Vigilien, Venien, Vaſten, und gemeiniglich aller guter Werke, die in unſern Orden und unſers Ordens Brüdern die Guete und Gnade des heil. Geiſtes wircket in allen Enden, und uf das her durch die milde Barmhertzigkeit Gotes ſolcher Gnaden merende theilhafftig werde, ſoll her alle Wochen am Sonnabende 5. Pater noſter, und 5. Ave Maria zu Lob, und ſeiner lieben Mutter Marien zu Ehren verpflichtet ſeyn zu ſprechen, und von ſonderlichen Gnaden legen Wir diswegen, ſo ſeines Lebens Abſchedung von dieſer Welt, die der barmherzige Gott ſeliglich geruhe zu ſchicken, mit deſſen unſrem Brieffe, oder ſuſt uns, unſern Nachkomelingen oder Brüdern vorkundigt wirt, deme um ſeiner Seelen Seeligkeit ſol Inn es alſo halden mit beygrafft Meſſen, Vigilien, Gebethen, und Gedechtniſſe alſe das gewönlich iſt zu thun vor unſere, und unſers Ordens beſundere Liebhaber und Gönner in unſern Orden.* „ In medio ævo etiam frequentes erant ſic dicti Fratres vel Monachi ad ſuccurrendum, qui in vivis affiliati Ordini, in extremis conſtituti habitu Ordinis indui & ea ratione ſepeliri petiverunt, de quibus mentio fit in Marq. Hergott *Vetere disciplina Monaſt.* p. 200. Illuſtre eatenus exemplum præbet Fridericus I. Elector Palat a ſuis *Victorioſus* ab aliis *malus* dictus, hic in vivis A. 1467. ab Ordine Franciscanorum in filium adoptivum ſusceptus vi diſpoſitionis teſtamentariæ poſt mortem habitu Ordinis religioſo indutus in PP. Franciscanorum Eccleſia Heidelberg. ſub ſplendido monumento fuit ſepultus, prout refert Kremer *in ejus vita* L. 5. p. 509. adductis ſimul prædictis litteris affiliationis a Miniſtro Provinc. ejusdem Ordinis Florentiæ 23 Maji d. A. datis. Plures etiam Duces Auſtr. affiliatos in habitu Ordinis ſepultos fuiſſe meminit cit. Hergott *in Monumentis Auſtr.* De cætero morem hunc adhuc hodie in Italia & Hiſpania vigere conſtat.

# TANTUM.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0105-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0106-3

Mainz, Diss., 1755–83

ULB Halle 3
004 957 482

f

TA → OL von 1+7 Schritt verknüpft

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0107-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0108-4

# DISSERTATIO INAUGURALIS
## JURIS ECCLESIASTICI
DE
## CONFRATERNITATIBUS ECCLESIARUM CATHEDRALIUM ET COLLEGIATARUM IN GERMANIA.

QUAM
EX INDULTU INCLYTAE FACULTATIS JURIDICAE IN ALMA UNIVERSITATE MOGUNTINA
PRAESIDE
PRAENOBILI, CLARISS. AC CONSULTISS.
*VIRO AC DOMINO*
D. FRANCISCO ANTONIO DÜRR
J. U. D. EMINENTISS. AC CELSISS. PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNT. CONSILIARIO AUL. ET REGIMINIS ACTUALI, EJUSDEMQUE IN HAC ALMA UNIVERSITATE JURIS PUBLICI, ET HISTORIARUM PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO, NEC NON REVERENDISSIMI CAPITULI METROP. MOGUNT. ET UNIVERS. SYNDICO, FACULTAT. JURIDIC. ASSESSORE ET P. T. DECANO.
*PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS OBTINENDIS*
UNA CUM POSITIONIBUS EX UNIVERSO JURE PUBLICAE ERUDITORUM CRISI SUBMITTIT
ERASMUS LENNIG, Mogonus.
DIE V. AUGUSTI MDCCLXXX.

*MOGUNTIAE,*
Ex Typogr. Aulic. Academ. privileg. apud Joan. Joſ. Alef, Hæred. Hæſſner.

9
108
1780, 1
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-187415-p0109-4